Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Joachim Schnobel

Exercitationes Feudales

Ienae: Ienae: Neuenhan: Krebs, 1658

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777867001

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777867001/phys_0001
DFG

K. K — 2(160.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777867001/phys_0002
DFG

PRELATIONES JURIDICÆ

ad

[illegible] LIBROS

DIGESTORUM

Primum

[illegible]

DN. JOACHIMO SCHNOPFLIO

[illegible]

[illegible]

DN. ADRIANO BEYERO,

[illegible]

[illegible] GEORG. ADAM. STRUVII,

[illegible]

[illegible]

[illegible] FRIDERICO LEDERERO,

[illegible]

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777867001/phys_0003
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777867001/phys_0004
DFG

2.

EXERCITATIONES FEUDALES,

Quas in Academiâ Roſtochienſi

JOACHIMUS SCHNOBELIUS
JCtus famigeratiſſimus, tùm temporis Prof.
Publ. celeberrimus, jam verò Syndicus Stetinenſis ſpectatiſſimus

publicè ventilandas quondam propoſuit,
& nunc Anno 1658.
Secundâ vice ad inſtantes Themidos

Alumnorum preces typis ſubmiſſas
ſuis ſumtibus
cum indice locupletiſſimo
exhibuit

JOH. LUDOVICUS Neuenhan
Bibliop.

JENÆ.
Prelo SAMUELIS Krebs.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777867001/phys_0005
DFG

EXERCITATIONES FEUDALES,

Quas in Academia Rostochiensi

IOACHIMUS SCHNOBELIUS

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777867001/phys_0006
DFG

In Nomine Domini nostri Jesu Christi.

DISPUTATIO FEUDALIS PRIMA

De

Autoritate juris feudalis, Feudorum Origine, Definitione, & ab aliis negotiis non absimilibus differentiis.

RESPONDENTE

ANDREA Ansel/ Rostochiensi.

THESIS I.

DOctrinam juris feudalis perutilem, & scitu necessariam, divinâ opitulante gratiâ, post juris Civilis, quod est in Pandectis & Codice, materias maximam partem discussas tradituri, de Autoritate hujus juris quædam præmittere operæ pretium duximus. Ad quam explicandam pertinet Distinctio juris in Scriptum & non-scriptum. §. 3. *Inst. de jur. nat. gent. & civil. l. 6. §. 1. ff. de J. & J.* Illius species variæ sunt: Hujus fermè una saltem, quæ dicitur Consuetudo, jus scilicet tacito populi consensu & diuturno usu introductum & approbatum §. 9. *Inst. de jur. nat. gent. & civ. l. 32. ff. de L L.*

2. Etsi quidem inter utrumq; non parum est discriminis, materiæ tamen & effectus ratione interest nihil. De quibuscunq; enim rebus jus ab initio scribi ac expressè sanciri, de iisdem etiam consuetudo introduci potest: eandem etiam hæc cum jure scripto vim obligandi habet *d. l. 32. pr. & §. 1. l. seq. ff. de LL.* Quin & si est contraria juri scripto hoc abrogare valet. *d. l. 32. ff. de LL. c. fin. extr. de consuet. c. un. vers. legum autem Romanorum 2. F. 1.*

3. Et jus quidem Feudale, de quo nobis agendum, ex utraq; juris specie participat. Continet enim constitutiones quorundam Imperatorum veluti Lotharii I. *1. F. 19. & seqq.* Conradi II. *c. 1. §. 2. 1. F. 1.* Henrici III.

t. 1. 2. F. 57. Conradi III. *c. 1. 2 F. 40.* Friderici I. *2 F. 27. 33. 53. 55. 56. &* Responsa prudentum: ut Philiberti Episcopi, Oberti de Orto, Gerhardi Nigri & aliorum, *2. F. 6. 25. 28. 30. 34. §. 1. 2. 3. it. tit. 36. & 51. §. 1. 2. 3. 5. 6. & 7.* Continet item Mores, qui erant Mediolanensium & aliarum Italiæ urbium.

4. Initii tamen ratione, unde id quod posterius est, pendet, & à potiori totum ad jus non Scriptum rectè refertur. Hinc & titulus CONSUETUDINES FEUDORUM, præfixus, quæ appellatio & in textibus reperitur *2. F. 2. §. fin. 2. F. 3. §. 1. & 2 F. 7. 9. & 23.* Alibi dicitur usus feudi *2. F. 10.* usus regni *1. F 15. § 1.* mores curiarum, *2. F. 1.* Id igitur tenendum: moribus hoc jus introductum postea constitutionibus Imperatorum & responsis prudentum latiùs enucleatum esse. Jure quidem Pontificio aliquid de feudis traditum, sed longè postquam hæ consuetudines essent introductæ: cætera quoq; scripta de feudis, quæ habentur, hisce consuetudinibus sunt recentiora. Vult *lib. 1. de feud. c. 1. n. 2.*

5. Compilator harum consuetudinum qui fuerit, ambigitur. Communiter quidem illarum descriptio assignatur Oberto de Orto, & Gerhardo Nigro Capagisto, quorum uterq; Consul fuit Mediolanensis, teste Ottone Frisingensi *lib. 2. de reb. gest. Friderici. cap. 12.* in quo interpretes omnes consentire dicit Borcholt *de feud. c. 2. n. 28.* Sed falluntur. Licet enim quædam ex utriusq; scripus desumpta & huc translata sint, id tamen non necessariò infert, illos hujus operis vel alicujus partis esse autores, Duaren. *de feud. c. 1. n. 4.* Nec Cujacii *in Prolegom. feud.* opinionem, qui Gerhardi esse totum librum primum, Oberti secundum usq; ad tit. 25. statuit, probamus.

6. Sunt, qui jussu Imperatoris Friderici II. Consuetudines feudales à prudentibus juris Ticini in unum corpus congestas, & Hugolinum præcipuæ autoritatis JCtum operam in eo suam præ cæteris præstitisse autumant, sed hæc potiùs conjectura quædam est & divinatio, quàm veritas. Alii Rapsodiam quandam esse (quod confusio rerum & eorundem titulorum repetitio satis indicant) ex variis libris studiosorum, qui in foro Mediolanensi versabantur, à privato quodam homine conscriptam censent. Connan. *com. 1. c. 10. n. 3.* Duaren. *d. c. 1. n. 4.* cui opinioni subscribimus.

7. Quamvis autem hæ consuetudines in scripturam sint redactæ, ut memoria earum esset expeditior & firmior, præsertim cùm essent variæ

variæ, & à se invicem non rarò discreparent, non tamen propterea consuetudines esse desierunt; non magis quàm testamentum Nuncupativum, utut deinceps scripto consignetur, tale esse desinit. *l. 2. C. de testam. l. 2. de bon. possess. sec. tab.* Nec enim scriptura, sed expressus populi consensus jus scriptum facit. Bart. *in l. 2. C. quæ sit long. consuet.* & scriptura ei jam in esse constituto supervenit, quicquid etiam repugnet Niell. *disp. feudal. 1. th. 2. lit. a.*

8. Non refert etiam ab uno vel pluribus privatis eas esse conscriptas, quò minùs per omnia vim atq; autoritatem legum habeant seu juris scripti, tùm ex inveterato admodum earum usu, & tanti quidem temporis, quod memoriam hominum excidit; tùm quod scriptura, ut jam dictum, ad ipsius consuetudinis vigorem nihil addat, nec ei quicquam adimat; tùm quod Imperatores ipsi eas variis in locis explicando, addendo, detrahendo, emendando confirmaverint, & approbarint, quâ de re vid. Sonsbec. *comm. ad usus feud. part. 1. n. 22.*

9. Nullum igitur dubium, quin jus hoc feudale in orbe Romano ut Authenticum publicè doceri, & in judiciis ad decisionem causarum allegari possit ac debeat, adeò, ut judex velut notorium in judicando negligens litem faciat suam, & ignorantia ejus non præsumatur nec excuset *arg. l. 2. & 7. ff. de jur. & fact. ignor. arg. c. 1. ext. de post. præl.* Quin & instar L. Rhodiæ, quam in rebus nauticis Romani observabant *l. 9 ff. de L. Rhod. de jact.* non solùm ob Impp. tacitam approbationem & non interruptam fori observantiam in imperio Romano, sed etiam in aliis Europæ provinciis usurpatur. Cujac. *in proleg. feud.* Rosenth. *in Synops. jur. feud. cap. 2. concl. 9.*

10. An autem unà cum secularibus etiam Clericos obliget, quæstionis est: Ad quod cùm communiter affirmativè respondeatur, & hæc opinio meliori nitatur jure, eidem calculum nostrum meritò adjicimus cum Jul. Clar. § *feudum. quæst. 3.* Sonsbec. *p. 1. n. 26. & seq.* ubi rejectâ sententiâ Curtii & Barbatiæ contrariâ communem exinde probat, quod multa capitula Juris Canonici etiam decisiones habeant feudales, ut videre licet *in c. cæterum. c. novit. extr. de judic. c quæ in eccleſiarum. de constitut. c. ad aures. c. in quibusdam. de pœn.* & eleganter addit, Si conveniri nolint Clerici coram domino, vel Curiæ paribus, & sic judicibus secularibus, caveant à secularibus feuda accipere, & secularibus rebus se immiscere, quod itidem tàm à Canonibus, quàm ipso Christo prohi-

bitum est autore Hieronymo in *c. clericus & c. duo sunt genera Christianorum 12. q. 1. & t. t. ne cler. secul. negot. se immisc.*

11. Non quidem facilè consuetudines hæ ad aliarum causarum quàm feudalium decisionem allegari possunt: deficiente tamen jure Canonico & civili, si ratio quædam æquitatis naturalis ex illis depromi possit, quæ per se vim legis obtinet, illa in aliis quoq; negotiis neutiquam videtur respuenda. Et quia Statutum, licet strictæ sit interpretationis, propter similitudinem tamen rationis ad alios casus extenditur, *arg. l. 47. ff. solut. matrim.* In Consuetudine quoq;, quæ pari cum eo passu ambulat, hæc extensio habebit locum. Clar. *in §. feudum. q. 3.*

12. In disceptatione causarum feudalium, deficientibus feudorum consuetudinibus, ad jus commune esse recurrendum certum est *per text. 2. F. 1.* Sed quid? si Canonicum à civili in proposito casu discrepet, utrum præferendum? In iis quæ jusjurandum concernunt, & ubi de vitando peccato agitur, Canonico, uti alias, prærogativa debetur: in cæteris in terris imperii Civile, in terris Ecclesiæ Canonicum servandum *c. clerici de judic. c. 1. de nov. op. nunc.* Schrader. *p. 1. q. 6.* Rosenthal. *d. c. 1 concl. 19.*

13. Omnium verò primò in controversiis feudalibus tenor investituræ & pacta illi adjecta sunt attendenda *c. 1. §. fin. 2. F. 14. c. 1. §. fin. 2. F. 2. c. un. 2 F. 18. c. un. 2. F. 48. arg. l. 23. ff. de R. J.* ita ut, si plures investituræ offerantur, prima præferatur. Schrad. *p. 5. c. 2. n. 37.* Si pacta nulla adsint, ex speciali familiarum, personarum & locorum consuetudine *c. 13. X. de judic. arg. c. un. 2. F. 1. c. un. 2 F. 9. c. un. 2. F. 24.* (quod si discrepat, consuetudo loci, in quo res feudalis sita, à consuetudine dominantis curiæ, quæ sit præferenda, prolixè explicat Rosenthal. *d. c. 1. concl. 14*) deficiente etiam consuetudine ac jure speciali ex jure communi feudorum, & pòst ex jure absolutè communi Canonico, scil. aut Civili, prout modò dictum, deniq; in subsidium ex variis argumentis illæ sunt decidendæ. vid. Mynsing. *5. obs. 76. per tot.*

14. Quod originem attinet Feudorum, illa non heri aut nudius tertius introducta, sed antiquissimæ esse originis constat ex *1. F. 1. §. 1.* Hinc sunt, qui primam eorum originem fermè una cum imperiis extitisse, & ab iis, qui infirmam adhuc & crescentem suam potentiam hisce adminiculis confirmare necesse censuerunt, promanasse putant, quos inter est Niell. *d. diss. feudal. 1. th. 1. & ibi in comm.* Alii ab antiquissimo jure

Clien-

Clientelari à Romulo instituto derivant: alii militias, de quibus inferius aliquid attingemus, feuda esse putant; quidam ad fundos limitaneos seu limitrophos, & prædia stipendiaria referunt: quidam ab hominum Romanorum (de quibus in *l. 2. C. de Episc. & cler. l. 1. C. de commerc. l. un. C. de conduct. & procur. præd. fisc. lib. 11.*) jure descendisse credunt, quas opiniones recenset Duar. *d. comment. cap. 3.* Gœdd. *disp. feud. 1. th. 6.* Pet. Heig. *p. 1. q. 1.*

16. Nos, illis missis, non ex jure Romano aut alio antiquiori, sed ex moribus Longobardorum feuda ortum ducere probabiliùs censemus. Quantumvis enim priùs commemorata similitudinem quandam habeant cum feudis; Longobardos tamen, populos Germaniæ, qui Anno 568. Italiam invaserunt, feuda, uti ea in libris feudalibus constituta habemus, produxisse vix est dubitandum. Et hæc communis interpretum est sententia, quam diligentissimè confirmavit Pet. Heig. *d. q. 1. n. 31. & multis seqq.*

17. Autoritate juris feudalis ejusq; origine perspectâ, progrediendum nunc ad Feudi Definitionem. Huic præmittimus Etymologiam & varias significationes. Derivant nonnulli Feudum à fœdere uti Zas. *p. 1. n. 2.* Sonsbec. *p. 2. n. 32.* alii à feida h. e. inimicitiâ, Gregor. Tholos. syntag. jur. *lib. 6. c. 2. n. 2.* Rittershus. *lib. 1. part. feudal. c. 1. n. 12.* (unde German. befehden & fehdbrieffe/quibus capitales inimiciciæ denunciantur) quidam à Germanico fueden quod est pascere vel alere, Beust. *ad l. admonendi n. 874. ff. de jurejur.* Besold. *Discurs. polit. de stat. reip. subalt. in annexo consil. feudali n. 5.* Nonnulli à Græco βοηθείᾳ, unde putant oriri vocem Germanicam Vogthey quæ significat præfecturam. Vigel. *in meth. jur. feud. c. 2. reg. 2.* Rectiùs autem deducitur à fide seu fidelitate *per. c. 1. pr. 2. F. 3.*

18. Significationes ejus potissimùm tres sunt. Sumitur enim, ad instar pignoris, vel pro re feudali *c. 1. §. fin. 1. F. 4. c. 1. §. si verò 2. F. 22. c. inter filiam 2. F. 26.* vel pro contractu, quo Vasallo jus in re constituitur *c. 1. de usu Mediol. 1. F. 28. c. 1. §. 1. 2. F. 3.* vel pro ipso jure in re feudali constituto *c. 1. quib. mod. feud. constit. 1. F. 25. c. 1. §. fin. 2. F. 1.* quæ postrema significatio hîc locum habet. Frantzk. de laudem. *c. 10. n. 5.* Gœdd. *d. disp. feud. 1. thes. 12.*

19. Definitio feudi, vel potius ejus descriptio traditur ab Oberto de Orto *c. 1. in quib. caus. feud. amit. 2. F. 23. vers. hujus autem generis* quam

 præter

præter alios retinent ac sequuntur Clarus *d. §. feudum q. 4.* Jacobinus de S. Georgio *in verb. in feudum num 1.* Rosenthal. *c. 1. concl. 1.* Alii aliter definiunt. Nobis juxta significatum postremum definire placet, quod sit jus in re quadam sub lege mutuæ fidelitatis constitutum. Gothof. Anton. *Diss. feud. 1. th. 2.*

20. Fidelitas, sive fides mutua, ad quam invicem præstandam Dominus & Vasallus, & hic quidem illi cum quadam veneratione & obsequio, obligati sunt, est de feudi quidditate & substantiâ. Unde & non solùm feudum à fide deducitur, ut suprà, sed etiam Vasallus passim Fidelis appellatur §. *quia vidimus.* §. *si quis 1. F. 4.* §. *item. si fidelis 1. F. 5.* Et hæc fidelitas adeò ingreditur feudi substantiam, ut pactio, quâ convenit, ne præstetur, feudi constitutionem penitus impediat: detractâ enim rei formâ essentiali, ipsa quoq; res perit *l. 9.* §. *3. in f. ad exhib.*

21. Quin & hoc adeò verum est, ut eo casu nec aliud negotii genus contractum & res fortè in usumfructum data censeatur. Qui enim omittit substantiam negotii, quod contrahere voluit, non modò illud ipsum negotium frustrà & inutiliter agit, sed & nullum aliud, quod cum instituto fortè similitudinem aliquam habet, conficere eo ipso censetur. per *tex. in l. 1.* §. *4. ubi glos. & Dd. ff. de constit. pecun. l. 1.* §. *2. ff. de V. O.* quò pertinet illud, quod ultra intentionem agentium actus eorum operari non debeat *l. 3. C. ne ux. pro mar. l. 19 pr. ubi Br.* & alii *de R. C. l. 3.* §. *1. de O. & A.*

21. Præter fidelitatem ad substantiam feudi à nonnullis etiam hæc requiruntur: 1. Ut Dominus feudi proprietatem rei feudalis penes se retineat, & jus saltem utendi feudi transeat in vasallum per *§. ult. 2. F. 8. & §. ult. 2. F. 23. 2.* Ut vasallus domino pro feudo servitia præstet *d. §. fin. 2. F. 23.* ubi in descriptione feudi hic ejus finis innuitur, ut vasallus ipsiusq; heredes domino fideliter serviant. Sed hæc quia talia sunt, quæ partim cum aliis sunt communia, partim etiam abesse & pactis immutari queunt, ita ut nihilominus feudum maneat, essentiam ejus ingredi negamus.

23. Feudum ita definitum differt ab Usufructu, Emphyteusi, Precariâ, Censu, Libello. Etsi enim in genere cum feudo conveniant, & jura sint in rebus constituta, omnia tamen in eo, quòd non mutuæ fidelitatis causâ constituantur, differunt. Præterea & Ususfructus aliter à feudo differt, ut generis loco, prout quidam putant, nullatenus poni queat. Inter cætera enim Ususfructus vitâ usufructuarii circumscribi-

tur.

tur §. 3. *Inst. de usufr.* feudum autem ad masculos descendit *c. 1. §. 1 & seqq. l. F. 1. c. 1. §. final. 2. F. 23.* Ille aliis modis, quàm feudum, finitur & amittitur, ut constat ex tit. *ff. quib. mod. Usufr. amit. & tit. quib. mod. feud. amitt. 1. F. 5. & tit. in quib. cas. feud. amitt. 2. F. 23.*

24. Emphyteusis licet adeò feudo sit similis, ut argumentum ab hoc ad illam, & vice versâ probabile, utile & frequentissimum dicatur ab Everhardo in Top. legal. in loc. *à feud. ad emphyt.* tamen illa jus est fruendi prædio alieno pro certâ pensione annuâ Domino directo præstandâ, prout patet ex §. 3. *Inst. de locat.* estq; saltem in re corporali, non quavis etiam incorporali alienabili, ac deniq; certis suis pactis constat, de quibus *l. 1. & 2. C. de jur. emphyt.* ac liberiùs alienari & transferri potest. *d. §. 3. Inst. de locat. l. 3. C. d. t.*

25. Precaria seu precariæ sunt jus utendi fruendi prædio alieno ad certum tempus, vel, dum vixerit accipiens, tàm sine, quàm cum annuâ pensione concessum, & sub eâ lege, ut certis temporibus, puta de quinquennio in quinquennium renovetur. *c. 1. & ult. ext. de precar. & can. precariæ. 10. q. 2.* Junct. *l. 14. §. sanè C. de SS. Eccles.* cujus à feudo differentia satis est manifesta. Cujac. *in comment. ad lib. 1. Feud. tit. 5. circ. med.* Quid autem differat precaria à precario id explicatum vide apud Panormit. & Dd. *in d. c. fin. ext. de precar.*

26. Census seu jus Censuale est, quo quis vel ex prædio proprio, vel ex alieno sibi concesso alteri cuidam quotannis censum præstat. Ægrè quidem census hic ab emphyteusi, sicut & pensio illa annua à Canone emphyteutico discerni potest. Utriusq; tamen duplex potissimùm est differentia, tùm quod pleno jure prædium censuale ad censuarium pertineat, tùm quod non ita censuarius, uti Emphyteuta ob non solutam per triennium pensionem jure suo privari possit. Agunt de hac materiâ text. glos. ac Canonist. *in c. constitutus. X. de relig. dom.* Clarus *in §. Emphyteusis q. 1. num. 2.* Menoch. *lib. 3. præsumpt. 106. num. 1. 2. & 6.*

27. Libellus, seu, ut alii volunt, & vocant, libellaria de jure quidem civili est contractus, quo scripturâ interveniente certo pretio res alicui utenda fruenda datur, certâ insuper in annos singulos constitutâ pensione & hac plerumq; lege, ut statо condictoq; tempore rursus certo vel arbitrario pretio numerato renovetur. Vult. *lib. 1. de feud. c. 10. n. 49. & c. 12. num. 9.* estque ex emptione venditione, & locatione conductione, conflatus Pet. Gregor. *lib. 6. Syntagm. c. 1.* De jure autem feudali, ubi

non

non rarò ejus fit mentio, libellus ipsam fermè denotat emphyteusin. *2. F. 9. §. 1 & 2. c. 1. §. inter 2 F. 26.* Frantzk. *tr. de laudem. c. 11.*

28. Differt etiam à jure Superficiario. Superficiem autem JCti vocant, quicquid est super facie terræ, & in eo à solo, cui superficies adhæret, distinguitur. Unde & ædes ex solo & superficie, tanquam partibus, constare probant. *l. 23. in fin. pr. ff. de usucap. l. 49. de R. V.* Pertinet autem potissimùm ad prædia urbana & jus in alieno solo ædificandi, & ædificium sibi in perpetuum vel plures annos sub certâ pensione habendi significat. Unde primitus conductione interveniente constitutum esse videtur, prout patet *ex l. 1. ff. de superfic. l. ult. ff. eod. l. 74. ff. de R. V.* & Emphyteusi fermè est simile. Sicut enim Emphyteuta pro emphyteusi canonem, ita superficiarius pro usu superficiei solarium solvere tenetur *l. 5 ff. quæ pot. in pign. hab.* à quali onere Vasallus est immunis. Quod si tamen pretio interveniente convenit de superficie imponenda, vel imposita emitur, nulla annua pensio debetur. Bart. *in d. l. ult. ff. de superfic.*

29. Differunt denique à feudis veterum Militiæ. Erat autem Militia officium eorum, qui in aliquâ scholâ inter statutos relati erant, ex quo salaria & commoda à Principe consequebantur, de quibus agitur *Novel. 53. & 97.* ubi vide Cujac. Harum quædam ejus erant conditionis, ut vendi & in heredes transmitti ac ita pignori obligari possent *l. ult. C. de pign. l. 5. C. qui mil. pos.* ut militia Adjutorum Quæstoris *d. Novel. 53.* Silentiariorum *l. 30. §. ult. C. de inoff. testam.* Cujac. *in d. Novel. 53.* Ab hujusmodi verò militiâ differre feudum patet, quòd illa non in re quadam, quæ feudi nomine detur, consistat; nec talis obligatio fidei, ac mutuæ præstationis, qualis inter dominum & vasallum contrahitur, in eâ reperiatur. Vult. *d. c. 8 n. 13.*

30. Opponitur tandem feudo ALLODIUM, quod est proprium cujusq; Patrimonium, & liberum, sive res propria & libera, quam quis à nemine tenet nec recognoscit, nisi fortè ratione jurisdictionis *c. un. §. 1. & seq. 2. F. 26.* Schrad. *p. 2. c. 2. in fin.* qualis in dubio res quælibet esse præsumitur, ita ut alleganti rem esse feudalem, onus incumbat probandi. Feudum enim connexam habet servitutem; sed res omnis libera in pristinâ suâ naturali liberate constitisse & permansisse creditur, de quo latiùs *Dd. in l. 8. C. de servit. & aq. arg. c. un. vers. sed inter. 2. F. 41* Schneid. *dict. comm. p. 1. num. ult.* Menoch. *præsumpt. 89 per tot.* Gail. 2. *obs. 69.* Mynsing. 5. *obs. 25.*

DISPUTATIO FEUDALIS SECUNDA

De

Variis Feudi divisionibus.

RESPONDENTE

JOHANNE GEBHARDO Clüvern/
Bas. Westphalo.

THESIS I.

COgnitâ feudi substantiâ, ejusq; à rebus quibusdam aliquam similitudinem cum feudo habentibus differentiis, jam Divisiones veniunt dispiciendæ. Non enim omnium feudorum eadem est ratio, sed ingens diversitas, quâ unum ab alio discernitur. Esto igitur nobis prima Divisio, quod Feudum aliud sit Masculinum, aliud Fœmininum, Germanicè Kunckellehen/ *2. F. 30. & 50.* illud, quod à masculo; hoc, quod à fœminâ primitus est acquisitum *2. F. 30. pr. Zal. p. 8. num. 39.* Sonsbec. *part. 3. n. 23.* Vult. *c. 8. num. 3.*

2. Quâ descriptione positâ, statuimus, si feudum à fœminâ fortè concessum sit, non propterea illud dici fœmineum, quia feudum masculinum aut fœmininum non ex eo, qui dedit, sed, cui dedit, appellationem suam habet *2. F. 30.* Hartman Pistor. *p. 2. q. 34. n. 28.* Nec illud pro fœmineo habendum, in quod fœmina ex pacto investituræ, vel more regionis succedit, cum à masculo primùm fuerit acquisitum. *2. F. 50. ibi. nisi ex pacto, vel nisi sit fœmineum 2. F. 11. vers. proles.* licet effectu successionis inspecto ita dici posse non inficiemur. Vult. *d. c. 8. n. 3.* Usitatum quippe est, ut indifferenter illud, in quo fœminæ succedunt, fœmineum dicatur, testante Rosenthal. *c. 2. concl. 7.*

3. Quæritur & illud, An in feudo fœmineo, ut fœminæ succedant, pactô speciali opus sit? quod negamus, *2. F. 17.* Gœdd. *Disp. feud. 2. th. 1.* Hujus tamen feudi ea natura est, ut masculi in successione interim præferantur, & fœminæ, illis non extantibus, demum admittantur. *2. F. 30.* Schneidew. *p. 1. epit. in us. feud. n. 49.* Deniq; & in dubio feudum non fœmininum, sed masculinum esse præsumendum est. *2. F. 2. §. fin.* Rosenth. *d. c. 2. concl. 8.* Arum. *Disp. feud. 2. th. 7.*

4. Secundò dividitur Feudum in Novum & Vetus. Novum est, quod possessor Vasallus ipsemet primùm, vel novâ investiturâ, vel præscriptione acquisivit *l. F. 8. §. fin. ibi: hæc de hoc feudo 2. F. 32. 2. F. 26. vers. si quis triginta.* Antiquum, quod ab aliquo Ascendente acquisitum ex successione possidetur *2. F. 50. vers. paternum* Germ. Altväterlich / Uhraltväterlich / item Stam-Lehn. Clar. *lib. 4. sent. §. feudum. quæst. 8.* Sonsbec *p. 3. n. 1 cum aliquot seqq.*

5. Feudum Vetus à nonnullis subdividitur in Paternum & Antiquum ex *c. un. §. 1. 1. F. 8. c. un. 2. F. 11. c. un. 2. F. 14.* Paternum vocant, quod à quopiam adscendentium, usq; ad quartum gradum, patre sc. avo, proavo, abavo est acquisitum: Antiquum, quod acquisitum ab aliquo adscendentium his ulteriori. Duar. *c. 4. n. 10.* Sed utrumq; promiscuè poni & pro eo, quod à parentibus seu majoribus acquisitum est, dici, patet ex *2. F. 11. vers. si verò. 2. F. 50.* Vult. *d. c. 8. n. 5 in fin.* Hart. Pist. *p. 2. q. 5. n. 2.* Maternum tamen *1. F. 15.* uti & Fraternum sive collaterale Paterno rectè opponi non negamus. Zas. *p. 3. n. 3.* Rosenth. *c. 2 concl. 12.*

6. Circa hanc divisionem variæ ventilantur quæstiones, ut: An feudum Novum vel Paternum sit, quod vasallus pretio feudi antiqui venditi comparavit? Et regulariter novum illud esse statuimus *arg. l. 3. C. in quib. caus. pign. vel hypoth. tác. contr. l. 48. §. ult. ff. de furt. l. 28. ff. de novat.* nisi aliud actum fuisse appareat. Sicut & illud novum fit, quod ab unâ familiâ in aliam legitimâ venditione est translatum, non item, si fortè in remotiorem agnatum investiturâ comprehensum transferatur *2. F. 26. § Titius* Fachin. *7. contr. jur. 10.*

7. Quæritur etiam, An feudum Novum jure feudi veteris à Domino concedi possit? quod asserimus. Licet enim hominum denominatione rerum substantia & veritas immutari non possit *l. 8. ff. de castr. pecul. l. 13. & l. seq. C. de probat.* quia tamen tenor investituræ est servandus *2. F. 12. ibi: nisi facta fuerit eo pacto investitura. 2. F. 18. in fin. & 2. F. 48.* & quilibet, quam velit, legem rebus suis imponere potest, *arg. l. 21. C. mandat.* propter pactum illud, feudi Paterni effectum & vim obtinet. Fachin. *7. contr. 58.* Gail. *2. Obs. 50.* Mynsi. *4. O. 84. & 6. O. 6.* quæ tamen sententia in feudo à Prælato vel Episcopo concesso limitatur. Mynsi. *6. O. 18.* Rosenth. *c. 2. q. 14.*

8. Vice versâ, si Vasallus de feudo antiquo sive paterno tanquam de novo investiatur, hoc feudum etiam feudi novi qualitatem recipit, modò

modò id fiat agnatis, qui ex beneficio primi concedentis & acquirentis jus quæsitum habent, scientibus & consentientibus: alioqui Vasallus iste non agnatis, sed sibi præjudicaturus esset. Mynsi. 4. *Obs. 83.* Gail. 2. *Obs. 49. per tex.* 2. F. *39. pr. & 2.* F. *14.*

9. Sed quid, si feloniam commisit Vasallus, ob quam feudum amissum est, idq; ex gratiâ Domini ipsi denuò conferatur, num antiqui naturam pristinam recuperabit, an verò pro novo erit habendum? Nos novum illud fieri statuimus *arg. l. 21. & seq. l. 35. ff. de jur. dot. l. 83. § faceram. ff. de V. O.* Aliud autem dicendum, si dominus feloniam vasallo remittendo, se illum in integrum, vel in pristinum statum restituere vel saltem, se feudum ei restituere dicat. *Dd. in* 2. F. *14.* Clar. *in § feudum. q. 8. n. 6. & q. 66.* Schrad. *p.* 2. *c.* 3. *n. 46.* item, si non ipso jure feudum sit amissum, vel sententia privativa nondum sit secuta: tunc enim cum *gl. in c. imperialem §. insuper vers. privetur.* 2. F. *55.* Jacobin. de S. Georg. *in verb. dictis, vasalli n. 64.* feudum illud vetus remanere statuimus.

10. In dubio, utrum feudum Antiquum, an vero Novum sit præsumendum, non frivolè controvertitur. Si enim novum censeatur, ex parte domini; Si vetus, ex parte vasalli ejusq; agnatorum erit favorabilius. Nos distinguendo hanc controversiam dirimendam esse censemus. Vel enim Dominus possidet feudum, vel Agnatus, & pro possessore præsumendum, ac tale feudum esse putandum est, quale possidens esse dicit, 1. F. *12.* 2. F. *15. vers. item placet.* Neutro autem possidente, potiùs antiquum quàm novum præsumendum ad hoc, ut agnatus in possessionem mittatur, & ab onere probandi relevetur. 2 F. *26. pr.* Mascard. *de probat. concl. 771. n. 6. & seqq.* Menoch. *3. præsumpt. 93.* Schrad. *d. c. 3. n. 41.* Vult. *c. 8. n. 8.*

11. Tertiò distinguitur Feudum in Nobile & Ignobile. Illud est, quod ex conferentis potestate & voluntate investitum reddit nobilem. Voluntas hæc est, vel Expressa, vel Tacita. illa est, quando conferens habens nobilitandi potestatem, nobilitatem unà tribuit: hæc si aliquem de feudo, quod dignitatem hujusmodi annexam habet, investiat v. c. de Comitatu, Ducatu, 2. F. 10. Ignobile contra, quod vel ab illo, qui non potest, vel ab eo, qui quidem potest, sed non vult nobilitate, conceditur. Arum. *Disp. feud. 2. th. 46.*

12. Nobile rursum subdividitur in Regale & non Regale. Illud est, quod supremi principis autoritate cum dignitate regali est concessum.

Mozz. *de divis. feud. n. 42.* cujusmodi dignitas est Regnum, Ducatus, Marchionatus, Comitatus, Germanicè dicitur Fahnenlehen/quod de his feudis Vasalli cum vexillo investiuntur. Schrad. *d. c. 3. n. 6* Non Regale, quod annexam habet dignitatem regali inferiorem, quales Vasalli in triplici sunt differentiâ. Dantur enim Valvasores Regis aut regni *1. F. 1. §. 1.* qui dicuntur etiam Valvasores majores *1. F. 7. & 17. 2. F. 53. pr. &* Capitanei *1. F. 7. vers. idem est. 2. F. 10. vers. qui verò 2. F. 23. pr.* dantur Valvasores minores, & simpliciter Valvasores dicti *2. F. 10. d. vers. qui verò 1. F. 1. §. 1.* dantur deniq; Valvasini *d. tit. 10. vers. qui autem* qui & minores *d. tit. 10.* & minimi Valvasores dicuntur. *1. F. 7. & 15.*

13. Quartò dispescitur feudum in Seculare & Ecclesiasticum. Hoc, quod in re Ecclesiasticâ; illud; quod in re seculari constituitur. Nec enim ex qualitate personarum concedentium, sed rei concessæ feudum Ecclesiasticum est æstimandum. German. vocatur Krumbstabslehen. Gœdd. *d. 2. th. 16.* Vult. *d. c. 8. n. 19.* nonnunquam tamen & illud, quod ipsi Ecclesiæ conceditur, licet minùs propriè, Ecclesiasticum vocatur. *2. F. 40. c. 1.* In hoc feudo illud est singulare, quod promissio de feudo concedendo à Prælato facta successorem ejus ad investiendum non obliget *1. F. 3.* Lindeman. *exerc. feud. 1. th. 39.*

14. Quintò Feudum aliud est Ligium, aliud non Ligium: Illud, de quo Vasallus Domino fidelitatem contra omnes, nemine mortalium (quamvis Papa sit, Bodin. *lib. 1. de rep. c. 9. n. 114.*) antepositio vel excepto, præstare tenetur: inde dictum, quod arctiùs liget & obstringat Vasallum. Non ligium, ex quo Vasallus fidelitatem debet, quodam excepto. *2. F. 99. & 52.* Clement. *Pastoralis. de sent. & re judic.*

15. Ex datâ descriptione patet, quod feudum ligium ab illo solo, qui non regnoscit superiorem, concedi, Jason *in prælud. feud. num. 106.* Duar. *in comm. feud. c. 4. n. 3.* & nemo plurium dominorum Vasallus ligius esse possit. *2. F. 52. §. satis benè & d. t. 99. & 93.* Duar. *d. l.* Cujac. *2. F. 7.* Potest tamen Ligius aliquis esse Imperatoris, licet quoad cætera bona alterius principis imperii sit Landsassius. Gail. *tr. de arrest. Imp. c. 6. num. 10. & seqq.* P. Frider. *de proceff. lib. 1. c. 38. n. 5.* nec adeò etiam hoc feudum ligat, quo minùs invito Domino Vasallus id refutare possit. *2. F. 38.* ubi regula est generalis, à qua hoc non excipitur. Gœdd. *d. d. 2. th. 7.*

16. Putant nonnulli, ut feudum Ligium sit, opus esse illud in investiturâ disertè exprimi, Clar. *in §. 9. feudum q. 11.* Gail. *d. tr. de arrest. c. 6. n. 30.*

n. 30. sed contrarium est verius, cùm sufficiat, ex formulâ investituræ ac juramenti aliisq; causſæ circumstantiis id percipi posse. Schrad. *p. 2. c. 4. n. 2.* Rosenth. *c. 2. concl. 3.* Vult. *d. c. 8.* De formis autem juramenti, quo aliquis alterius ligius constituitur Vasallus, vid. Bodin. *d. c. 9. n. 114. 116. 118. 119. & 178* Philip. Camerar. *lib. 1. med. histor. c. 6. & lib. 2. c. 59.*

17. Illud quoq; contra Clarum *d. q. 11.* erroneum esse censemus, feudum ligium ejus esse naturæ, ut, qui illud accipit, personam suam principaliter, in consequentiam verò omnia bona, etiam allodialia domini jurisdictioni & potestati subjiciat. Sonsbec. *tract. de feud. p. 4. n. 26.* sicut nec hoc subsistere potest, quod feudum ligium in fœminas sit transitorium. Rosenth. *c. 7. concl. 4. 34. n. 12.*

17. Sextò dividitur feudum in Proprium & Improprium: quam divisionem summam & generalissimam vocant Schrad. *p. 2. c. 3. in pr.* & Rosenth. *c. 2. concluſ. 52.* quia vix ullum feudum dabitur, quod non ad alterutrum horum aptè referri possit. Mozz. *de divis. feud. n. 35.* Est autem Proprium, quod ad feudorum rationem communem, *2. F. 2.* §. *præterea.* quam ex jure vel consuetudine feudali habent, prout ea describitur *2. F. 23.* §. *fin.* est conformatum, *1. F. 2 ibi: nomine proprii feudi.* Quod si verò ab illâ communi & consuetâ feudi ratione in aliquo recedit, est Improprium. Illud Rectum, hoc Non-rectum appellari videtur. *2. F. 33.* quamvis Rectum ambiguè dicatur, prout docet Vult. *d. c. 8. n. 37.*

19. Communis autem illa feudorum ratio & qualitas, unde feudorum proprium æstimatur, in jure feudali Propria feudi natura dicitur *2. F. 48.* quod quasi à lege feudali feudo sit ingenita, adeoq; communis & regulariter feudo cuivis competere debeat. Quò pertinent plurima, puta, quod consistat in re immobili aut illi æquipollente *2. F. 1. §. fin.* Proprietas seu dominium directum maneat concedentis, utile saltem transeat ad accipientem *2. F. 23. in fin.* quod in eo succedant masculi descendentes *1. F. 1. §. 1. 2. F. 11.* pro eo præstentur servitia *2. F. 23. in f.* per investituram constituatur *1. F. 25. p. 2. F. 1. in fin.* alienatio non nisi domino consentiente fiat *2. F. 9. 42. 52.* 55 domino etiam invito refutari possit *2. F. 28. & tit. seq. in fin.* de quibus & nonnullis aliis feudi naturalibus qualitatibus vide latè Sonsbec. *p. 4. n. 3. & seqq.*

20. Et feudi quidem proprii species aliquot cùm paulò antè habuetimus, jam de Improprio potissimum erit agendum: quod ita dignoscitur, ut diximus, quando à communi feudorum ratione vel usitatâ &

naturali ejus qualitate recedit. Hoc contingit vel ex ipsâ juris feudalis dispositione, vel ex pacto & conventione, item statuto ac speciali consuetudine, *l.* F. *14. in fin. 2.* F. *2. §. fin. 2.* F. *48.* ita tamen, ut quatenus à communi natura deviat, eatenus tantùm improprium sit, in reliquis omnibus jure feudi proprii censeatur. *2.* F. *48. §. sed qualitercunq;* Schrad. *p. 2. c. 4. n 11. 73. & seq.*

21. Est igitur feudum improprium illud, quod dicitur Fœmineum, quod *th. 1.* describitur, vel de quo saltem actum, ut in eo fœminæ succedant. *l.* F. *8. §. fin.* Schrad. *p. 2. c. 4. n. 11.* ita & Improprium dicitur feudum, in cujus concessione juramentum fidelitatis Vasallo est remissum, *2.* F. *23. §. 1. inf.* quâ tamen remissione non statim ipsius fidelitatis præstatio remissa censetur, sed saltem juramenti. Schrad. *d. p. 2. c. 4. n. 19.* Zas. *p. ult. n. 34.*

22. Impropriis accensetur etiam feudum, quod eâ conditione à domino est concessum, ut cum utili dominio directum quoque penes Vasallum sit *arg. §. fin. 2.* F. *23.* Vult. *d. c. 8. n. 40.* quod sine investiturâ concessum *2.* F. *23. p.* Mozz. *de divis. feud. num. 39. & 77.* aut in quo petitio renovationis investituræ & ipsa renovatio est remissa. Vult. *d. c. 8. n 41.* Borcholt. *c. 4. n. 34.* item quod ita datum est, ut in quemvis alienari possit etiam invito Domino & invitis agnatis 2. F. 48.

23. Ejusdem generis est feudum Francum h. e. liberum ab omni onere & servitio *2.* F. *23. & 104.* German. ein Freylehen/Clar. §. *feudum q. 12.* Vult. *d. c. 8. n. 50.* item de quo certum & determinatum servitium est præstandum, quod aliàs vocatur Conditionatum ein Setzlehen *2.* F. *23. in fin. 75. & 89.* quo concesso vasallus ad nullum aliud, quàm quod in investiturâ expressum est, servitium obstringitur. Zas. *p. ult. n. 13.* Rosenth *c. 2. concl. 65. n. 3.* Hujus species volunt esse Feudum Castrense, Burglehen/& feudum Aulicum Hofflehen/quod pro officio certo aulico obeundo est concessum, de quibus vid. Schrad. *d. c. 4. n. 17. & 54.*

24. Non dubium etiam, quid illud, cujus gratiâ reale quoddam onus, fortè certa quædam pensio, quotannis præstari debet, non sit proprium, adeò ut quidam nec feudum, sed vel Emphyteusin Bald. *in l. liberti n. 36. de oper. libert.* Jason. *in prælud. feud. num. 62.* vel censualem, aut alium contractum innominatum esse putaverint. Nos tamen, aliorum sententiis rejectis, si res in feudum expressè data sit, non obstante obligatione ad canonem vel censum aut certam quampiâ rem præstandam,

dam, feudum impropriũ esse asserimus 2. F. 48. *vers sed qualitercunq;* Menoch. 3. *præsumpt* 95. *n.* 3. Gœdd. *disp. feud.* 2. *th.* 8.

25. Ad hanc classem impropriorum feudorum refertur etiam Feudum ad antichresin datum seu pignoratitium vulgò Pfandlehen / hac scil. lege concessum, ut eo pro pecuniâ, quam concedens numeratam sibi esse dicit, Vasallus pignoris loco utatur fruatur, & Domino ejusve heredibus, solutâ pecuniâ, illud quovis tempore redimere liceat. Zas. *p. ult. n.* 23. *& seq.* Schrad. *d. c.* 4. *n.* 57. Rosenth. *c.* 2. *concl.* 77. *& c.* 6. *concl.* 80. *n.* 11.

26. De feudo empto inter Dd. non satis convenit, utrùm proprium illud sit, an verò Improprium. Sanè pretio interveniente constitui posse feudum communis est opinio, eaq; retinenda *per tex.* 1. F. 1. *in fin.* 1. F. 2. *pr.* 1. F. 7. 24. *& alios*, non obstante *tex.* 1. F. 27. *in fin. pr. ibi: sub prætextu pecuniæ.* neq; hoc, quod feudum sit beneficium 2. F. 23. *in fin.* prout ostendit Vult. 3. *c.* 8. *n.* 44. Proprium autem illud esse, quamvis Sonsbec. *p.* 2. *de feud. n.* 8. acriter pertendat, eumq; secuti Bocer. *tr. de qual. & differ. feudor. c.* 5. *n.* 62. & Lindeman. *exerc. feudal.* 1. *th.* 45. nobis tamen à sententiâ receptiore, quâ Improprium à cæteris omnibus uno quasi ore statuitur, recedere nefas videtur. Clar. *in §. feudum. q.* 16. *in fin.* Mozz. *de divis. feud. n.* 37. Gail. 2. *obs.* 159. *n.* 3. *&* 4. Schrad. *d. c.* 4. *n.* 55. Gœdd. *d. d.* 2. *th.* 9.

27. Ad feuda impropria ex ipsius juris feudalis dispositione referuntur insuper Feudum Guardiæ, Castaldiæ, Soldatæ, Habitationis, quia regulariter sunt temporalia & partim annuo spatio (ut duo priora) finiuntur 1. F. 2. *pr. & tit.* 11. partim (ut duo posteriora) ad heredes non transmittuntur. Illud enim morte dantis & accipientis 2. F. 10. §. *pen.* hoc morte accipientis extinguitur *tit.* 105. *in extraord. cap. p.* cùm proprii feudi natura requirat, ut sit perpetuum 2. F. 23. §. *ult. ibi: in perpetuum pertineat.*

28. Est autem feudum Guardiæ, quod custodi castri, territorii vel domus pro mercede custodiæ; Castaldiæ, vel, ut alii legunt, Guastaldiæ, quod Castaldo h. e. procuratori vel administratori domus aut rerum pro curâ & solicitudine ejus confertur, Schrad. *d. c.* 4. *n.* 21. Schneidew. *de feud. p.* 1. *n.* 57. Feudum Soldatæ, quando alicui annua eaq; gratuita solidorum, seu pecuniæ, vel annonæ, ut puta vini aut frumenti quantitas loco alimentorum præstatur 2. F. 10. §. *pen. & ult.* Habitationis feudum, quando jus domum aliquam jure feudi inhabitandi alicui conceditur *tit.* 75. *& 105. in extraordinar.* Gœdd. *d. d.* 2. *th.* 10.

29. Prio-

29. Prioribus addi debent Feudum Cameræ & Cavenæ, quæ plerumque ut feuda Soldatæ concedi solent. Illud est jus ex domini ærario certam pecuniam; hoc ex ejus cellario annuatim annonam, vinum scil. aut frumentum exigendi, de quib. vide *2. F. 1. §. sciendum. 2. F. 2. §. si verò 2. F. 20. & 58.* Zas. *p. 12. c. 31.* Cujac. *2. F. 2.* Horum duorum ea est natura, ut inanis sit exactio, si deducto eo, ne dominus egeat, omnique ære alieno, non reperiatur in Camerâ aut Cavenâ, unde solvi possit *2. F. 58. in princ.* Wurmser. *pract. observ. tit. 51. obs. 2. n. 2.*

30. Nec omittendum est feudum Advocatiæ seu protectionis, quod Ecclesiarum aut Universitatum Protectores Nobiles aut Principes in earum bonis sibi constitutum habent, in Germaniâ receptissimum, Vogtheylehnen. Plerumq; enim Abbatiæ, Monasteria & Ecclesiæ vicinos Principes Advocatos & defensores, etiam Civitates suos Protectores habent, Vogtheyherren/Schutz und Schirmherren/Vult. *d. c. 8. n. 17.*

31. Pertinent etiam huc feuda quædam Rustica German. Churmiedt oder Huebgüter/quando bona quædam juramento fidelitatis præstito, ita conceduntur, ut nulla quidem ex illis militaria servitia, modicum tamen quid quotannis præstari debeat, & mortuo Vasallo heres ejus optimum equum aut bovem Domino dare teneatur, qualia bona in Westphaliâ multa dari testatur Lindeman. *exerc. feud. 1. th. 47.* Vide & de illis Rosenth. *c. 2. concl. 64.*

32. Ex eodem feudorum impropriorum censu est Feudum Hereditarium, quod hereditatis jure censetur, & ad omnes etiam extraneos heredes pro voluntate vasalli, qui & liberè de eo disponere potest, transit *2. F. 48.* Erblehen. Huic opponitur Feudum ex pacto & providentiâ, quod ex providentia legis feudalis ad primi acquirentis descendentes masculos *1. F. 1. §. hoc autem notandum 1. F. 8. pr. 2. F. 34. §. similiter.* ordine successivo *2. F. 50.* & quidem jure proprio, pertinet, in quorum etiam præjudicium Vasallus de eo nihil disponere potest *1. F. 8.* Sicut autem in dubio feudum magis Proprium quàm improprium *2. F. 2. §. 3.* Sonsbec. *de feud. p. 4. n. 2.* Menoch. *3. præs. 9. F. n. 1.* ita etiam potiùs ex pacto & providentiâ quàm hereditarium esse præsumitur. Clar. §. *feudum q. 9. n. 6.* Vult. *d. c. 8. n. 32.*

DISPUTATIO FEUDALIS TERTIA.

De

Personis, quæ feudum dare, vel accipere possunt.

RESPONDENTE

WERNERO THEODORO MARTINI,
Soltquellâ-Marchico.

THESIS I.

TRansmissis Feudorum, prout ab antiquis vocantur, præludiis, jus ipsum nunc plenius est proponendum. Et primò quidem spectandæ in eo occurrunt PERSONÆ, quarum gratiâ omne jus constitutum dicitur *l. 2. ff. de stat. hom.* In his autem quia benevolentia, ex qua plerumq; feuda dantur, *1. F. 27. 2. F. 23. in fin.* aut proclivis ad accipiendum animus non sufficit, de earum potestate & habilitate potissimùm erit videndum.

2. Et cùm datio in feudum species quædam sit alienationis, is saltem feudum dare potest, qui legitimè suorum bonorum administrationem habet. *2. F. 3. pr.* Oportet enim dantem non solùm dominum, sed & ejus esse ætatis ac conditionis, ut res suas liberè administrare & alienare non prohibeatur. Sanè sexus discrimen non moramur, cùm expressum sit Fœminam feudum dare posse *2. F. 3. §. pen.* Quamvis enim olim controversum id fuerit, tandem tamen plerique eò consenserunt, ut illis æquè ac maribus feudum dare liceret *d. §. pen. vers. fœminam.* ubi vide Baron. Schenck. *2. F. 3.* Cujac. *2. F. 4.* Schneidewin. *part 3. epit. feud. n. 72.*

3. Juxta regulam igitur præmissam feudum dare nequeunt, qui sunt alieni juris, Servi scil. & Filiifam. Et Servi quidem simpliciter, utpote qui jure civili habentur pro nullis *l. 32. ff. de R. J.* & ipsi nihil suum acquirere aut habere possunt, §. *1. Inst. per quas person. nob. acquir. l 3. in f. ff. de cap. min:* quibus accensemus statuliberos, *l. 1. 9. 16. 29. ff. de statu lib. l. 81. §. 9. de legat. 1.* & assceriptitios, *l. 2. C. in quib. caus. colon.*

Cenſit. lib. 11. Rolenth. *c. 3. q. 18.* Filiifamilias autem quoad bona profecti-tia præſertim & Adventitia, quorum Uſusfructus patri acquiritur, non-verò quoad caſtrenſia & q. caſtrenſia, in quibus pro patribusfam. pleniſſimè habentur. *l. 2. ff. de Sc. Maced. l. ult. C. de inoff. teſtam. l. 3. ff. de caſtr. pecul. l. pen. & ult. C. de bon. quæ lib.* nec quoad illa adventitia, quæ pleno jure ad ipſos pertinent, in quibus feudum eos conſtituere poſſe-nihil vetat. *Novel. 117. c. 1. arg. l. ult. §. 5. C. de bon. quæ lib. l. 21. C. mand.* Niell. *diſp. feud. 2. th. 4. lit. c.* adde Mynſing. *3. O. 10.*

4. Prohibentur item Tutores & Curatores minorum, quamvis domini loco habeantur. *l. 27. ff. de admin. tut. l. 7. §. 3. ff. pro empt.* quia pupillorum aut minorum patrimonium gratis deminuere ipſis nullo modo permiſſum *l. 46. §. ult. ff. de admin. tut. l. 22. C. de pact.* Sed quid, ſi infeudationem hanc novam cum cognitione & decreto Magiſtratus tentent? nec hac viâ facilè procedet. Lindeman. *exerc. feud. 1. th. 73.* licet Zaſius. *p. 5. Epit feud. n. 41.* eumq; ſecutus Schrader. *p. 4. c. 1. n. ult.* affirmet. Excipiuntur tamen Tutores & Curatores Principum, quos dignitate pupilli aut minoris, aliisve cauſſis id exigentibus cum decreto tamen Magiſtratus (ſi quem habent) de novo feuda dare poſſe interpretes ſtatuunt. Sonsbec. *p. 6. n. 24.* Schneidew. *d. p. 3. n. 84.* Vult. *1. de feud. c. 3. n. 6. in fin.*

5. Huc pertinent & Procuratores, ſive generaliter & ſimpliciter ipſis rerum alienarum adminiſtratio ſit conceſſa, *l. 12. ff. de pact. l. 63. ff. de procur.* ſive eam acceperint liberam. Utut enim hi, ſi negotiorum ratio & uſus domini id exigat, alienare poſſint, *l. 58. & ſeq. ff. de procur. l. 9. §. 4. de A. R. D. §. 43. Inſt. de R. D.* donare tamen res domini. *l. 28. §. ult. ff. de pact. l. 7. pr. ff. de donat.* & inde in feudum dare (cùm in feudum datio ſit quædam donatio *2. F. 23. in f. ibi:* beneficium & *ibi:* benevolentia) nequeunt. Rolenth. *d. c. 3. q. 9. n. 6.* Limitatur autem hæc ſententia in iis, qui ſpeciali mandato ad feudum conferendum ſunt inſtructi *2. F. 3. §. 1. verſ. ſed utrum.* Duar. *de feud. c. 6. n. 12.* Schrad. *d. p. 4. c. 1. n. 68.*

6. Ratione ætatis feuda dare non poſſunt Impuberes & Minores, quamvis tutorum & curatorum, quorum auxilio reguntur, autoritas aut conſenſus accedat. Frid. Schenck. Baro *in 2. F. 3. num. 3.* Vult. *d. c. 3. n. 6.* Sonsbec. *p. 6. n. 24.* Antiqui tamen feudi conceſſio tam pupillis pubertati proximis, quàm minoribus, (non tamen absq; tutorum vel curatorum autoritate & conſenſu, prout eleganter docet Sonsbec. *d. p. 6. n. 19.*

eſt

est permissa. *arg. l. 7. ff. de pecul. l. 3. §. 3. ff. de reb. cor. qui sub tutel. l. 3. C. quand. decret. non est op.* sicut & si parens cuidam feudum novum promiserit, illud minor Parentis heres Vasallo præstare poterit *d. l. 3. C. quand. decret. op. non est. l. 1. § 1. l. 5. §. 6. l. ult. ff. de reb. cor. qui sub tutel.* Mozz. *tit. qui feud. dar. pos. num. 20.* Zas. *p. 5. n. 37.* Rosenth. *d. c. 3 q. 17.*

7. Multò magis Furiosi ob generalem rationem, quod consentire nequeant, *l. 5. & l. 40. ff. de R. I.* à datione feudi excluduntur; quatenus scil. sunt furiosi: tempore autem intervalli, quo remisit furor, uti quodlibet aliud negotium gerere, ita etiam feuda dare non prohibentur *arg. §. 1. Inst. quib. non est permis. fac. testam. l. 6. C. de curat. furios.* Idem etiam de mente captis *arg. §. 3. Inst. de curat. §. 1. Inst. de pupill. substit.* & ebriis *c. sanè. cum seq. 15. q. 1. c. venter. dist. 35.* dicendum Gothofr. Anton. *disp. feud. 2. th. 5. lit. b.* Furiosis adsimilantur Prodigi *l. 1 ff. de curat. fur.* qui juxtà cum illis nec novum feudum concedere, nec vetus renovare possunt, cùm ipsis administratione suorum bonorum sit interdictum *l. 6. ff. de V. O.*

8. De Muto & Surdo, quamvis naturâ tales sint, si rerum suarum gerant administrationem, probabilius censemus quòd eo, quo possint modo, feuda dare queant, quia nec donare prohibentur *l. 34. §. & mutus. ff. de donat.* Sonsbec. *p. 6. n 16.* Schneidew *d. p. 3. n. 78* Rosenth *d. c. 3. q. 7.* tantò minus id negandum de Cœco, qui ex auditu momenta rerum satis feliciter assequitur, ac proinde à commerciis & contractibus neutiquam arcendus. *arg. l. 1. §. 4. de postul. & l. 6. ff. de judic.* Hotom. *disp. feud. c. 13.*

9. Conditionis ratione, quâ Personæ sunt vel Ecclesiasticæ vel Seculares, haud facilè quisquam, si cætera sint paria, potestate feudum dandi destituitur. Inter Ecclesiasticas autem personas supremum tenet locum Pontifex Romanus, qui non solùm in Ecclesias, tanquam universalis Episcopus, sed & in ipsos Imperatores omnesq; Christiani orbis principes, quamvis nullo jure, potestatem sibi arrogat *c. Adrianus. 22 cum seqq. dist. 63. c. venerabilem. extr. de elect. c. solicitis. extr. de major. & obed.* cui cum multis pluribus novissimè Gudelinus in comment. de jure feudorum *p. 2. c. 1.* ex falsissimo illo principio, quod Petro ejusq; successoribus universæ Ecclesiæ regimen à Christo commissum, & sic ad salutem & concordiam Ecclesiæ regna omnia sint subjecta, frivolè patrocinatur.

10. Sanè illud abundè constat, olim non ipsos solùm Pontifices ab

Imperatoribus Romanis esse constitutos, & confirmatos, *c. Agatho. 21. dist. 36. c. Adrianus. c. in synodo. c. cùm longè. can. Reatina. dist. 63.* Sed & in constituendis Antistitibus superioribus cæteris eandem ab ipsis usurpatam esse autoritatem, prout ex Carol. Sigon. *lib. 7. histor. Ital.* & Aventino probat Carpzov. *ad L. Reg. Germ. c. 2. sect. 4. n. 11.* adeoque Imperium Romanum feudum Pontificis, ac Imperatorem Augustissimum ejus Vasallum esse dicere putidissimum est commentum. vid. Dn. Reinking. *lib. 1. de regim. secul. & eccles. cl. 2. c. 4 & 5.*

11. Pontificem proximè sequuntur Patriarchæ, quorum quatuor numerantur, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus & Hierosolymitanus *c. renovantes c. definimus dist. 22.* Hos Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Abbatissæ, Præpositi. *1. F. 1. pr.* Ubi Pontificis & Patriarcharum mentio omittitur, vel, quia sub generali voce Episcoporum continentur, vel, quia de illis non poterat esse dubitatio, Duar. *in comm. de feud. c. 6. n. 1.*

12. Ita verò Personæ Ecclesiasticæ Papâ inferiores bona Ecclesiæ in feudum concedere possunt, si antiquitùs eorum consuetudo fuerit ea infeudare *1. F. 1. d. pr.* quod sic intelligendum existimamus, si ante pontificis Urbani constitutionem in feudum fuerint data *1. F. 6. pr.* Rosenth. *c. 4 q. 30.* & tunc citra consensum capituli & solemnitatem ea infeudatio procedit. Sonsbec. *de feud. p. 6. n. 3.* Zas. *p. 5. n. 47.* quæ ipsis etiam libera relinquitur, si bona infeudari solita fortè ad ipsas reversa fuerint. Vult. *lib. 1. c. 5. n 14.* nec refert, utrùm ea consanguineis, an extraneis denuò concesserint, modò fraus abfuerit. Clar. *§. feudum q. 13.*

13. Nova autem feuda in rebus Ecclesiæ suæ non, nisi suadente necessitatis aut magnæ utilitatis causâ, solenniter perpensâ, & consensu Capituli, nonnunquam etiam Pontificis requisito & accedente constituunt *c. 1. & 2. extr. de reb. eccl. non alien.* Covarru. *2. var. resol. 17.* quod & de illis bonis, quæ olim infeudari solita, postea ad Ecclesiam reversa de mensâ ejusdem effecta sunt, intelligendum. Quando autem censeantur in corpus patrimonii Ecclesiæ redacta & de mensâ esse variant Dd. ut videre est apud Schrad. *de feud. p. 4. c. 2. n. 24.* Zas. *p. 5. n. 49.* Schneidew *d. 9. 3. n. 45.*

14. Sequuntur Personæ Seculares, quarum caput & coryphæus est Romanus Imperator, quem omnis generis feuda dare posse nemo potest sine quodam sacrilegio dubitare, & quidem ex bonis propriis seu patrimo-

trimonialibus, non autem alienis. Quamvis enim mundi dominus *l. 9. ff. de L. Rhod. de jact.* & legibus solutus esse dicatur *l. 31. ff. de LL.* nulli tamen dominorum ac possessorum rem suam aufferre, & alii pro feudo tribuere potest *arg. §. 2. Inst. l. 2. ff. de his qui sui vel al. sunt jur. l. ult. ff. de natal. restit l. 3. C. de rescind. vend. 1. F. 7.* Covarruv. *lib. 3. var. resol. c. 6. n. 8. & in cap. peccatum. de R. J. in 6. part. 2. §. 11. num. 3.* in tantum, ut nec ex causâ publicæ utilitatis alii suum aufferre queat, nisi refuso pretio. *l. 13. §. 1. ibi. invito te ff. commun. præd. l. 2. ubi* Bald. *C. pro quib. caus. serv. pro præm. libert. accip.* Schrader. *p. 4. c. 1. n. 28.*

15. De bonis imperii verò pro suo arbitrio & citra Electorum Imperij consensum feuda dare non potest nova, cùm infeudatio, ut suprà dictum, species quædam sit alienationis: imperatoris autem officio incumbat bona imperii potiùs augere, quàm in detrimentum publicum & successorum præjudicium imminuere *Nov. 11. pr. Nov. 30. pr. Novel. 116.* Unde & German. Mehrer des Reichs (ita enim vocem Augusti nostrates reddiderunt) appellatur: quod in tantum procedit, ut nec in subditos hæc alienatio facta subsistat, ob generalem capitulationi ejus juratæ insertam promissionem *vid. Capitul.* Caroli V. *art. 9.*

16. An autem de bonis in feudum dari solitis & imperio apertis denuò aliquem investire possit, de eo discrepant autores. Et quamvis plerorumq; & communis sit sententia, non requisito Electorum consensu ea reinfeudari ab ipso posse, cùm & Prælato id liceat sine consensu Capituli *2. F. 53.* eaq; sententia expresso textu *A. B. tit. 7.* confirmetur, per Capitulationem tamen olim Carolo V. præscriptam & quoad hunc articulum in successoribus ejus observatam ab isto jure est recessum, cùm in eâ Imperator sanctè promittat, quod de bonis vacantibus & feudis Imperio apertis sine consensu & voluntate Electorum neminem investire velit vid. *Capitul.* Caroli V. & sequentium Impp. usq; ad modernum Ferdinandum III. §. Wann auch Lehen dem Reich &c.

17. Ab Imperatore proximus est Rex Romanorum, speciatim Cæsar dictus: cum illo eodem gradu consistunt Reges cæteri, quorum eò liberior est potestas, quod jure successionis ad regna perveniunt, eaq; in heredes transmittunt. Zas. *epit. feud. p. 5. num. 5.* Hos in imperio Romano sequuntur Electores, Principes, Comites, quibus accensentur Barones, de quibus, ut & de prioribus dignitatum nominibus vid. Zas. *d. c. 5.* Cluten in *syllog. rer. quotid. cons. l. 26. in comment.* quibus deniq; subjiciuntur Nobiles. Schrad. *p. 4. c. 1. n. 46.* quos omnes feuda dare posse extra dubitationis aleam est positum.

18. De plebejis autem privatis ignobilibus, adeoq; Rusticis non immeritò ambigitur, an non minùs, quàm illi superiores res suas in feudum dare possint? Sunt qui negant, hac tamen fermè additâ limitatione, nisi consuetudo loci illis hanc facultatem permittat, Duaren. *in consuet. feud. c. 6. n. 9.* Sed contraria opinio verior est & cõmunior asserentium, laicos quoscunq; etiam minimos, modò plenam ac liberam suorum bonorum habeant administrationem, nisi contrariâ consuetudine impediantur, allodia sua in feudum concedere posse, per tex. generalem *2. F. 3. pr. vers. Novi verò* Facit *l. 21. C. mandat. l. 2. in fin. ff. si quis à pat. fuer. manum.* Frid. Schenck. Baro ad *1. F. 1. §. Marchio.* Zas. *p 5. n. 31.* Sonsbec. *p. 6. c. 15.* Rosenthal. *c. 3. concl. 2. n. 2.*

19. Cæterùm illi, qui feuda concedunt, in jure feudali plerumq; dicuntur Domini *1. F. 1. §. 2. inf. 2. F. 4. inf.* & passim, tum quod ab ipsis feuda profecta sint recognoscenda, tum ob fidelitatem & servitia, quæ plerumq; iis debentur. Dicuntur etiam Seniores *1. F. 17. & 18.* non ætatis, sed observantiæ & venerationis ratione. Vult. *1. F. 3.* Qui accipiunt, indiscriminatim Vasalli (de cujus vocis origine vide Vult. *1. F. 4. n. 12.* Bocer. *cl. 5. disp. 12. th. 16.* Pet. Heig *p. 1. q. 2. n. 78.*) Fideles *1. F. 1. §. quia vidimus. 1. F. 4. §. si quid de manso 1. F. 5. §. item fidelis & §. rursus 1. F. 10. 2. F. 7. §. ult.* Feudatarii *in constit. Imp.* Henrici II. *in fin.* Clientuli *1. F. 10.* Si plures sint ejusdem Domini Vasalli sub eadem curiâ & in eodem domini territorio, Pares Curiæ appellantur *1. F. 18. 26. §. testes verò.* Ac de hisce Vasallis jam portò ex naturâ relatorum erit dicendum. Neque enim feudum constitui potest, nisi sit qui accipiat.

20. In quem feudum est conferendum, capax ejus esse debet, qualis est quivis etiam minimus, adeò ut & servus rectè investiatur *2. F 3. §. 1. vers. personam verò.* nisi ignorantia, prout textus habet, prætendatur, quâ conferens putavit esse liberum: tunc enim datio feudi est inutilis errore consensum & voluntatem excludente. *arg. l. 22. ff. de testam. tut. l. 15. ff. de jurisd.* Schenck. *ad 2. F. 3. d. vers. personam verò* Gudelin. *in comm. de jur. feud. p. 2. c. 2. n. 1.* Sed num servus eo ipso, quod feudum accipit, libertatem unà consequitur? Distinguimus in proprium & alienum. Proprio unà cum feudo libertas data censetur. *arg. §. 2. Inst. qui & ex quib. caus. §. 1. Inst. qui testam. tut. dar. poss. l. super servis. C. qui milit. pos. lib 12.* Zas. *epit. feud. p. 5. n. 63.* Alieno non item, quia nec eadem ratio, cùm Domino ipsius feudum datum, prout alia quæ servus accepit, acquiratur *2. F. 3. §. 1. vers. sed utrum ipse.* Schenck. *d. l.* Sonsbec. *p. 7. n. 21.*

21. Si

21. Si Servus, multò magis Filiusfam. feudum acquirere poterit, ac de eo nullum est dubium. Id verò in controversiam non levirer trahitur, An accepti ab alio feudi Ususfructus Patri quæratur? Cujus decisio inde pendet, utrùm feudum istud peculii Castrensis, an vero Adventitii jure sit censendum? Et cùm textu feudali expresso destituamur, ex jure communi ad illud respondendum. Sanè pro Adventitio peculio, cujus Ususfructus patri debeatur, feudum istud habendum esse speciosis rationibus concedit Sonsbec. *p. 7. n. 8.* eamq; sententiam tuetur Schneidew. *p. 6. c. 4. n. 7.* Mozz. *tit. de naturalib. feudi n. 49.* Sed ex proprietate hujus feudi, & intentione ac voluntate concedentis contraria sententia plurium calculis est approbata, quos magno numero recenset Vult. *lib. 1. de feud. c. 4. n 8.* eamq; communem dicit Fachin. *7. controvers. 77.* & dissentiens Niel. *diss. 2. th 5. lit. d.*

22. In hoc capite etiam non distinguitur, is, qui accipit feudum, Minor sit, an major, modò non destituatur intellectu, qualis in cæteris rebus acquirendis sufficeret. Hinc etiam impubes & minor sine tutore vel curatore feuda rectè accipiunt *arg. §. 9. vers. sed in proximis. Inst. de inutil. stipul. junct. pr. Inst. & l. 9. pr. ff. de autorit. tut. l. 11 ff. de A. R. D.* quamvis in minore contrarium malit Sonsbec. *d. p. 7. n. 15. & seq.* cui non adstipulandum Vid. Vult. *d. c. 4. n. 6.* Infantes verò, furiosi & mente capti per tutores, quos habent, accipiunt. *arg. l. 18. §. 2. C. de jur. delib l. 7. §. 3. & 7. de curat. furios.* Zas. *p. 5. n. 66.* Schrad. *tr feud. p. 4. c. 3. n. 4.*

23. De iis autem, qui ob sexum, aut vitium corporis, vel animi, domino servitia præstare non possunt, magis dubitatur, an sint feudi capaces? Sunt enim feuda militiæ potissimùm causâ instituta. Vigl. *ad rubr. Inst. de milit. testam n. 23.* Unde Vasalli in libris nostris sæpe vocantur Milites l. F. 22. & alibi. Sed de fœminâ non esse ambigendum exinde patet, quia quædam feuda dantur expresse fœminea, quod de eis fœmina primùm fuerit investita. *2. F. 50.* Hermaphroditus quoq; feudi capax est non attento circa sexum, uterpræponderet, discrimine, quod saltem in feudi successione observatur. Borcholt. *de feud. c. 5. n. 45.* Schrad. *p. 7. c. 5. n 18.* Nec reliqui vitio quodam corporis aut sensuum affecti, Muti, puta, Surdi, Cœci, Debiles feudi novi sunt incapaces, eosq; investiens servitia, quæ præstare nequeunt, ipsis remisisse præsumitur. Aliud dicendum, si post infeudationem ex integris tales facti sint, & servitia, propter

pter quæ feudum est concessum, obire jam non possint. *i. F. 6. §. Mutus* & ibi Schenck. Baro *num. 9. & 10.* Sonsbec. *part. 12. n. 132.*

24. Eodem modo & Clerici, quamvis Canones vetent illos secularibus se immiscere negotiis, ac militiæ munus illis neutiquam conveniat. *t. t. extr. ne Cler. vel monach. secul. se negot. immisc.* eorundem tamen Canonum permissu & moribus feudum ab initio accipere queunt *c. ex transmissa. extr. de for. compet.* & latè Panorm. *in c. cæterum. extr. de judic.* cui nec jus nostrum feudale repugnat *2. F. 40. §. fin.* Si tamen in statu seculari acceperint, postea per habitus clericalis assumptionem, ubi ex militibus seculi facti sunt milites Christi, illud amittunt. *2. F. 21. & 26. §. qui clericus* & *2. F. 30. §. ex hoc.* & *2. F. 36.* sicut & in feudo paterno non succedunt *d. text. 2. F. 30. vers. ex hoc illud 2. F. 36. inf.* Mozz. *de his qui feud. dar. pos. n 27.* Schrad. *p. 3. n. 105.* Vult. *c. 4. n. 9.* Monachus verò de feudo investitus monasterio, cui est adscriptus, modò possessionum capax sit, id acquirit *arg. Auth. ingressi C. de sacros. Eccles.* Vult. *d. c. 4. n. 9.* Sonsbec. *p. 7. n. 23.* Gudelin. *d. comment. de feud. p. 2. c. 2. n. 7.*

25. Moribus & statutis locorum passim interdictum est, ne immobilia & sic quoq; feuda, quæ plerumq; in immobilibus consistunt, in Collegia Clericorum, Ecclesias aut Universitates, quæ manus mortuæ dicuntur, transferantur, & ita domino spes eventuræ apertionis per amortizationem, quam vocant, adimatur, ne scilicet contra utilitatem reipub. possessiones immobilium maximâ ex parte à privatis abirent: quâ de re peculiarem tractatum scripsit Petrus Peckius, quem vocat de Amortizatione bonorum. Adde P. Gregor. Tholos. *de repub. lib. 3. c. 7. n. 40.* Bodin. *5. de repub. c. 2.* & hujusmodi statuta in Germaniæ quampluribus locis vigere, eaq; in Camerâ Imperiali approbari, & in judicando observari testatur *Gail. 2. obs. 32. num. 5. & 7.*

26. Sicut autem non solùm per nosmetipsos, sed & per procuratorem feuda, prout suprà dictum est, dari, ita etiam accipi & acquiri possunt *2. F. 3. vers. sed utrum. 2. F. 58. vers. item sciendum est.* & hoc eò facilius, quod accipiendo domini conditio reddatur melior. Unde sufficit vel generale saltem mandatum habere procuratorem, *dd. texx. c. accedens. extr. de prabend.* Imò etiam tertius aliquis non procurator alterius nomine sine mandato accipere potest; modò is, quem concernit, intra tempus legitimum ratum habeat Sonsbec. *d. p. 7. n. 24.* Rosenth. *c. 3. concl. 9. & 3. seqq.*

DISPUTATIO FEUDALIS QUARTA.

De

Rebus, quæ in feudum dari possunt.

RESPONDENTE

JOHANNE RUSSELIO, Osnabr. Westphal.

THESIS I.

PErsonas, quarum prior & potior ratio esse meritò debuit, sequuntur RES, in quibus feudum constitui possit. Has primò omnium oportet esse in commercio, *arg. 2. F. 3. §. sciendum:* quæ enim eo sunt exemptæ, ut sacræ, religiosæ, sanctæ *l. 83. §. 5. ff. de V. O. l. 14. C. de SS. Eccles.* quæ etiam nullius esse dicuntur *l. 6. §. 2. 3. 4. ff. & §. 7. Inst. de R.D.* uti in contractum non cadunt, ita nec infeudari queunt. *d. §. l. 2. F. 3.* quibus tamen aliæ Ecclesiasticæ patrimoniales ad personarum sustentationem pertinentes non accensentur, quas ab Ecclesiæ Prælato eo, quo priori disputatione dictum est, modo alienari & in feudum rectè concedi constat. *l. F. 1. pr. 1 F. 6.*

2. De Decimis controversum est, an post concilium Lateranense anno 1379. sub Alexandro III. ut putatur, celebratum, quo in Laicos conferri prohibentur, *c. quamvis c. prohibemus. ext. de decimis* illæ, quæ ante concilium solitæ fuerunt dari laicis, & porrò in feudum dari possint, ubi ad Ecclesiam fuerint reversæ? Et quamvis hîc interpretes in contrarias planè abeant sententias, nobis tamen affirmantium partes sequi placet cum *glos. in d. c. prohibemus. extr. de decimis.* Sonsbec. *p. 8. n. 11.* Jason. *in l. F. 1. n. 13.* Borcholt. *c. 6. n. 19.* quam sententiam esse communem dicit Covarr. *lib. 1. var. resolut. c. 17. n. 5.* Clarus §. *feudum q. 13. n. 2.* Vult. *lib. 1. de feud. c. 5.* eandemque in Germaniâ & Lombardia receptam Hackelman. *in addit.* ad Schneidewin. *p. 2. epit. feudor. lit. b.* ex Zasio *c. 4. &* Mozzio *in c. de reb. quæ in feud.* testatur.

3. Non solùm commercio exemptæ, sed etiam alienari prohibitæ sive lege, ut res litigiosæ *l. 2. & fin. C. de litig.* fundus dotalis §. *1. Inst. quib. alien.*

alien. lic. vel non l un. §. 15. C. de rei uxor. act. bona liberorum adventitia *l. 1. C. de bon. mater. l. 6. §. 2. C. de bon. quæ lib.* sive hominis v. c. testatoris dispositione aut pacto contrahentium *l. ult. C. de reb. al. non alien. l. fin. §. 2. C. commun. de legat l. 14. §. 4. & seqq. ff. de legat. 1. l. 77. §. 27. ff. de legat. 2. l. 38. §. 3. & 4. de legat. 3.* sive etiam statuto aut consuetudine, ab infeudatione sunt exclusæ. Vult. *lib. 1. c. 5. n. 2.* Quò tamen referri non debent feudales, quæ licet alienari nequeant, alii tamen in feudum concedi possunt, modò id sedulò ac sine fraude fiat *d. §. 1. 2. F. 3.* Sonsbec. *de 9 part. 8. num. 14.*

4. Alienas res in feudum dare licet, iisq; evictis Dominus Vasallo de evictione tenetur, sive sciverit, sive ignoraverit, eas esse alienas *2. F. 8.* Vult. *d. c. 5. n. 16.* Sichard. *p. 3. c. 1. n. 6.* tantò magis concedi poterunt communes, cùm & earum pro parte valeat venditio *l. 3. C. de commun. rer. alien. 2. F. 58. §. sciendum.* Propriæ quoq; Vasalli, postquam proprietatem illarum subjecerit domino, eidem jus suum quod in illis habet, non ignoranti, in feudum dari possunt, ut cùm antè essent liberæ & allodiales, posteà ab alio sint recognoscendæ. Schrad. *p. 5. c. 5. n. 3.* Vult. *d. c. 5. num. 19.*

5. Porrò res alienabiles sunt vel Corporales, vel Incorporales. Illæ vel immobiles vel mobiles In Mobilibus an feudum constitui possit, anxiè disquiritur. Quamvis autem *2. F. 1. §. sciendum.* Res tantùm soli & solo cohærentes, & quæ pro immobilibus habentur, feudariæ qualitatis capaces proponantur: illo tamen non obstante, feudum, sed improprium, etiam in mobilibus v. c. pecuniâ numeratâ constitui posse affirmamus per *tex. 2. F. 25. ibi: vel nummos in feudum dandos numeret. 2. F. 20. ibi: de qualibet alia re*, idque remedio satisdationis in constituendo quasi usufructu rerum consumptibilium receptæ *l. 2. l. 6. & seq. l. 9. ff. de Usufr. ear. rer. quæ usu consum. §. 2. Inst. de Usufr.* Jacobus de Ardizone *in epit. jur. feud. cap. 27. in fin.* Gœdd. *disp. 5. th. 6. lit. c.* Bocer. *cl. 5. disp. 15. thes. 21.*

6. Inde tamen non sequitur, quòd pecunia ex venditione feudi redacta protinus sit feudalis per *text. 2. F. 26. §. si Vasallus de beneficio.* quia non feudi titulo, sed veluti pretium pro re venditâ datur & accipitur. Idq; in tantum procedit, ut quamvis fortè ad emptionem feudi ex conventione partium sit destinata, ob illam tamen destinationem feudalis non efficiatur, cùm destinatio per se non sufficiat, ubi re & facto est opus

l. 3. C.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777867001/phys_0032
DFG

l. 3. C. de furt. Quia tamen fidem & conventionem implere naturalis æquitas expoſcit, ſi obligatus ad feudum ex pecuniâ emendum obligationi huic vivens non ſatisfacit, eo mortuo heredes ejus ad præſtandum id quod intereſt, tenentur. *arg. l. 13. §. 1. in fin. ff. de rejudic. l. 72. verſ Colſius tamen ff. de V. O. l. 14. C. de R. V.* Roſenth. *c. 4. concl 8.* Koppen *quæſt. 8. n. 7.* Ern. Cothman. *vol. 1. conſil. 8.*

7. Res immobiles, in quibus feudum propriè conſtitui non negamus, ſunt vel ſoli v. c. fundus, ager, hortus, area, manſus *1. F. 4. §. ſi quis de manſo. arg. l. 73. ff. de uſufr. l. 5. §. 2. l. 7. l. 8. l. 10 §. 4. ff. quib. mod. Uſusfr. amit.* vel ſolo cohærentes *2. F. 1. §. ſciendum.* ut caſtra, ædificia, arbores ſive ſylvæ, lacus & ſtagna, in quibus omnibus feudum conſtitui poteſt: imò etiam in fructibus pendentibus, utpote qui fundi pars eſſe cenſentur *l. 44. ff. de R. V. l. 3. §. pertinet. ff. de vi & vi arm.* Gloſs. & Feudiſtæ communiter in *d. §. ſciendum* Zaſ. *part. 4. epit. feud. n. 4.* Schrad. *p. 3. c. 2. n. 54. & ſeq. & c. 4. n. 7.* Vult *d. c. 5. n. 4.*

8. De Molendinis non adeò expedita eſt quæſtio, quatenus in feudum concedantur? Diſtinguitur communiter inter illa, quæ ſolo affixa ac terrâ continentur, & cætera, quæ loco moventur, uti ſunt pneumatica & in aquis natantia, & illa quidem, non autem hæc infeudari poſſe ſtatuitur Vult. *lib. 1. c. 5. n. 5.* Roſenth. *c. 4. 4. 2.* Niel. *diſp. feud. 3. th. 1.* Ac de priori quidem genere molendinorum, quæ ædificiorum inſtar ad præterlabentem aquam exſtructa habentur, & vere ſunt immobilia, dubitari non poteſt, quin per ſe poſſint fieri feudalia; ſed & reliqua duo genera, cùm & ipſa immobilium naturam ſortiantur, dum ad certum perpetuumque uſum à patrefam. ſunt deſtinata, quamvis aliàs mobilia, itidem propriè infeudari poſſe penes me nullum planè eſt dubium Knichen *de pact. veſtitur. part. 2. c. 4 n. 56.*

9. Non autem res ſolùm ipſæ, ſed & earum acceſſiones ac pertinentiæ in feudi conceſſionem veniunt: ſic fundo aut agro conceſſo etiam jumenta, pecudes, & cætera quæ perpetui uſus causâ in eo habentur; item ſervitutes, & homines glebæ adſcripti ad Vaſallum tranſeunt. Quin & fodinæ metallicæ, lapidicinæ, ſalinæ inſimul conceſſæ intelliguntur, niſi fuerint exceptæ. *l. 9. pr. §. 2. & 3. l. 13. §. inde. ff. de Uſufr. l. 7. §. 13. & ſeq. l. 8. ff. ſolut. matrim.* theſaurus verò in fundo feudali repertus ad Vaſallum totus non pertinet, ſed uti aliàs in fundo alieno in-

ventus inter dominum & Vasallum est dividendus §. 40. *Inst. de R. D.* Schrad. *part. 10. tract. feud. p. 10. sect. 7. n. 45.*

10. Eodem modo Castro in feudum concesso etiam omnia ad illud pertinentia, inter quæ proximæ sunt munitiones, tormenta & arma bellica, annona & similia in castro existentia ad ejusq; conservationem & defensionem destinata jure feudi concessa intelliguntur *arg. l. 41. §. 12. ff. de legat. 1. l. 47. & seqq. l. 78. ff. de contrah. empt.* Vult. *d. c. 5. n. 4.* Bocer. *d. diss. 15. th. 12.* non tamen insimul jurisdictio, nisi Castro jam antè & quidem tunc, ubi concederetur, cohæreat. Aliàs enim jurisdictionem à Castro recipere separationem, & Castrum penes unum, jurisdictionem penes alium esse posse constat; eoque casu concessione Castri ipsa Jurisdictio non insimul erit concessa. Zas. *p. 4. epit. feud. n. 20.* Menoch. *3. præsumpt. 97. n. 14.*

11. Concessâ cum Castro Jurisdictione omnimodâ, non solùm mixtum sed etiam merum concessum esse Imperium non est ambigendum *arg. l. 7. §. fin. ff. de offic. procons* glos. *in Clement. 1. in verb. omnimodam. de for. compet.* quod etiam dicendum, si cum omnibus juribus & pertinentiis sit concessum Menoch. *d. præs. 97. n. 38.* imò etiam si simpliciter una cum castro concedatur jurisdictio, sub generali voce etiam merum transit imperium modò non alteri exinde nascatur præjudicium; quod & traditum ac explicatum *diss. 2. Pand. th. 5.* Regalia tamen sub pertinentiis & omnimodâ jurisdictione non comprehenduntur per *c. in generali. de R. J. in 6. c. quod translationem ext. de off. & potest. jud. deleg.* Sichard. *in l. 10. C. fam. ercisc.* Sixtin. *de Regal. lib. 1. c. 5. n. 93.*

12. Sylvâ in feudum concessâ jus venandi & aucupandi insimul concedi juri feudali & communi est consentaneum. *2. F. 58. §. idem eâdem lege arg. l. 9. §. aucupiorum l. 62. ff. de Usufr. l. 26. ff. de usur. junct. vers. fin. 2. F. 23. ibi: Ususfructus.* Hodiè tamen, ubi venandi jus inter Regalia, ut alibi traditur, refertur, id non temerè est asserendum. In cædendis autem lignis ille, qui de sylva est investitus, ad modum boni Usufructuarii sese geret, ut si sylva sit cædua, lignis quidem succisis ad fructum & emolumentum suum utatur; sin verò non cædua, grandes & fructiferas arbores non nisi ad necessarium ædificiorum usum ac refectionem cædat. *l. 9 §. ult. l. 10. 11. 12. ff. de usufr. l. 7. §. 12. ff. solut. matrim.* Bocer. *d. diss. th. 18.*

13. Lacus, stagnum & piscina rebus solo cohærentibus, itidem annumera-

numerantur, in quibus feudum æquè ac aliis rectè constituitur *2. F. 1. in fin.* Utrùm verò & pisces in stagno aut lacu ad Vasallum pertineant, nescio cur ambigi possit, cùm fructus stagni & piscinæ fermè non sint alii, quàm pisces. Quod si igitur jure piscandi in stagno dominus usus sit, illud ipsum etiam ad Vasallum transire omninò est dicendum. *l. 9. §. 5. de. Usufr.* Zas. *p. 4. epit. feud. num. 2. & 3.* Schrad. *d. p. 3. c. 4. n. 7.*

14. Sequuntur Res Incorporales, quæ quamvis neq; mobiles neque immobiles dici possint, immobilibus tamen quandoq; annumerantur, *arg. l. 2. C. de servit. & aq. Nov. 7.* Gail. *2. Obs. 10.* Mynsing. *1. obs. 69.* Tales sunt annui reditus *l. 112. ff. de legat. 1. l. 14. pr. ubi gl. in verb. annonas. C. de SS. Eccles. l. 6. §. his illud. C. de sec. nupt. clement. exivi. § jum annui. de V. S.* item pensiones, quæ de Camerâ aut Cavenâ dantur, de quibus suprà actum. Vid. Schrad. *p. 3. c. 3. n. 2.* Pertinent etiam eò servitutes tàm rusticæ, quàm Urbanæ *2. F. 58. §. 2.* quæ non solùm cum prædiis, quibus cohærent, sed & per se de novo in feudum dari queunt. *arg. l. 80. §. 1 ff. de contrah. empt. l. 3. §. 3. l. 6. §. 5. ff. de act. empt.* Duar. *2. disp. 13.* Niell. *disp. feud. 3 th. 2.* Imò etiam jus ususfructus, quod in prædio quis habet, infeudationem admittit *arg. §. 1. Inst. de usu & habit. junct. 2. F. 23. in fin.*

15. Quæritur non leviter de Actionibus, quæ sunt res incorporales, uti constat, ac in jure consistunt, num in feudum rectè concedantur? Nos communi affirmantium placito suffragamur. Etenim si actio ad annuas perceptiones competat, & causam habeat successivam, cùm proprietas penes concedentem remanere possit, etiam infeudatio ejus habebit locum: quod si ad aliam quampiam rem mobilem detur, impropriùm; si ad immobilem, proprium ejus feudum constituetur, idque ex communi Dd. traditione, quod Actiones ad rem mobilem competentes interpretatione juris mobilibus; ad immobilem destinatæ immobilibus sint accensendæ. *arg. l. 15. ff. de R. I.* Gail. *2. obs. 11. n. 10.* vide latè Schrad. *p. 3. c. 3. n. 12.*

16. Cæterùm rerum Incorporalium nobilissimæ sunt Jurisdictio, & Regalia. Illa non solùm cum castro, ut suprà ostensum, sed & ipsa per se in alicujus districtus personas feudi jure dari potest. Non satis autem liquidum & expeditum, an cumulativè, ut loquuntur, an vero privativè concessa intelligatur? Posterius antehac nobis placuit, uti ex *Disp. pand. 2. th. 45.* liquet, eamque sententiam omninò retinendam existimamus. Translato enim utili (quod fit per concessionem feudi) dominio, omnis

jurisdictionis usus & utilitas translata intelligitur, in quâ feudatarius domino directo, qui usum à se abdicasse censetur, meritò est præferendus. Jacobin. de S. Georg. *in verb. vicarius & perpetuus n. 7.* Menoch. *2. præsumpt. 18. n. 5.* Coler. *de proceff. execut. p. 2. c. 1. n. 132.* Hartman. Pistor. *p. 2. q. 45. num. 15.* Knichen *de pact. vestitur. p. 2. c. 1. n. 20.*

17. Regalia à Rege h. e. Imperatore (qui passim in texx. juris feudalis nomine Regis indigitatur *1. F. 1. pr. & §. fin. 1. F. 14. 11. F. 26. pr. 2. F. 33. §. ibi: quod nuper Rex Fridericus*) sic dicta sunt jura ei, qui superiorem non recognoscit, in signum supremæ eminentiæ & salutem Reipub. competentia. Vult *1. de feud. c. 5. num. 7.* Habet hæc Imperator (non etiam Pontifex Romanus) & cum eo alii Principes superiorem non recognoscentes jure proprio & optimo: cæteri ipsis inferiores per concessionem & ex illorum indultu ac beneficio. Dividuntur communiter in majora & minora. Illa sunt, in quibus potissimùm suprema potestas & dignitas principis relucet, quæ & potiora regalia, & jura Majestatis; ac κατ' ἐξοχὴν principis reservata appellantur, Sixtin. *lib. 1. de regal. c. 2. n. 3. & 4.* Hæc quæ ad fisci augmentum spectant; qualia sunt pleraque, quæ 2. F. 56. recensentur.

18. Inter illa autem primò se offerunt Armandiæ, per quas jus habendi fabricas armorum bellorum & armamentaria publica intelligi existimamus *arg. t. t. C. de fabricens. lib. 11.* Novell. *85. c. 1. 2. & 3.* Eguin. Baro. *ad d. 2. F. 56.* Menoch. *de A. I. Q. cas. 394.* Peregrin. *de jur. fisci l. 1. tit. 1. num. 14.* Has sequuntur Viæ publicæ, aliàs regiæ, prætoriæ, consulares, militares nuncupatæ gemeine/Käyserliche/freye Heer/oder freye Landstrassen/quibus opponuntur privatæ & vicinales *l 2. §. viarum ff. ne quid in loc. publ.* Illæ inter Regalia ideò recensentur, quod principis sit providere, ut viæ istiusmodi rectè sese habeant, munitæ & tutæ sint, ad easque rectè custodiendas magistratus cujusq; loci cogere possit *l. 4. & ibi* Cujac. *C. de privil. dom. Aug. l 2. §. 22. ff. ne quid in loc. publ. l. 13. ff. de Off. præf. urb.* Rosenth. *c. 5. concl. 20.*

9. Notandum autem viam publicam non statim dici, quando ab omnibus per aliquem locum publicè commeatur, & communis publicusque ejus est usus, sed requiri insuper, ne solum & proprietas sit privatorum, & ut nos in civitatem, villam aut coloniam ducat. Ripa in *l. 2. n. 92. ff. de flumin.* Sixtin. *lib. 2. de regal. c. 2. n. 22* à cujus usu, cum jure gentium sit communis, nemo prohiberi debet, nisi vel hostis sit, vel Statui, cui jus viarum publicarum competit, ex ejus transitu incommodum

dum vel periculum aliquod sit metuendum. Peregrin. *lib. 1. de jur. fisc. tit. 1. num* 22. Rosenth. *c. 5. concl. 21. n. 2.*

20. De criminibus in viâ publicâ commissis cuinam competat cognitio, non satis est liquidum, utrum illi, cujus sunt regalia, an cui in illo territorio jus exercendi merum ac mixtum imperium est concessum? Nos eam præferimus sententiam, quâ cognitionem istam jus viæ habenti relinquendam esse statuitur, *l. 1. §. quies ff. de off. præf. urb. l. 13. ff. de off. præf.* Schneidew. *ad §. ult. num. 8. Inst. de jur. nat. gen. & civ.* Zang. *de except. p. 2. c. 1. n. 9.* Matth. Stephan. *de jurisd. p. 1. c. 7. n. 400.* Carpzov. *p. 3. pract. crim. q. 110. n. 39.*

21. Juri huic viarum annexum est jus conducendi die gleytliche Obrigkeit auff freyher Käyserlichen Reichs und Landstrassen/ quo qui utuntur, transmeantes per sua territoria & nomina sua edentes ac eâ de causâ certum censum solventes tutos præstare, ac si id non fecerint, damna omnia, quæ transeuntibus eorumq; mercibus incursu prædonum sunt data, resarcire tenentur. R. A. *de anno 1559.* damit dann die Obrigkeit. Sixtin. *de Regalib. lib. 2. c. 2. n. 41.* Johan. Georg. Becht *in tr. de secur. & salv. cond. th. 62.* Pertinet eodem quoque jus Postarum h. e. jus equos publicos per publicas vias disponendi quod inter reservata Imperatoris numeratur. Sixtin. *d. lib. 2. c. 13. n. 42.* Cluten. *in Syllog. rer. quotid.* tionibus *concl 22. lit. b.* Si quos enim Principes aut cæteri Status in suis dihabent cursores, Lands- non Reichsposten dicuntur, *Dn.* Reinking *de regim. lib. 1. cl. 5. c. n. 134.*

22. Ad instar viarum publicarum Regalibus annumerantur Flumina navigabilia, quæ penè omnia publica, *l. 4. inf. de R. D. §. 2. Inst. eod.* & sic in Imperio Romano solius sunt Imperatoris, à quo alii Principes, per quorum territoria labuntur, illa vel concessione vel præscriptione habent. Unde patet, quod privato flumine publico ædificare, aut molendinum in eo exstruere, utpote quo usus & rigor fluminis impeditur, minimè sit concessum *l. 1. & 2. ff. ne quid in loc. publ. l. un. prin. §. 3. & 7. ff. ne quid in flum. publ.* alioqui molendina ipsa seu jus ea exstruendi ad Regalia referri non debet. Anton. Tessaur. *decis. 16. n. 4.* Rosenth. *de feud. c. 5. concl. 28. n. 2.*

23. Ex variis quæstionibus quæ circa molendina ab Autoribus moventur, unam atq; alteram hîc movere lubet, quarum hæc sit prima; Utrum invito eo, qui molam in flumine publico aut privato longissimo & hominis memoriam excedente tempore habuit, alius in vicino flumine

mine aliam exstruere possit? Quod affirmamus *arg. l. 24. §. ult. l. 26. ff. de damn. infect. l. 1. §. 12. & 21. ff. de aq. & aq. pluv. arc. l. 8. & seq. C. de servit. & aq.* modò scilicet id faciat, ut sibi prosit, non ut alteri noceat Bart. *in l. quo minus. num. 2. & ibi* Jason *n. 21. & seq.* Ut enim alteri damno simus aut injuriam faciamus, humanæ societatis ratio non permittit *l. servus in fin. ff. de serv. export. l. in feudo. §. constituimus. ff. de R. V.* Sixtin. *de regal. l. 2. c. 3. n. 44. & seqq.*

24. Illi quæstioni succedit altera, quid sentiendum sit de molis, quas vocant, bannariis, an scilicet libertas, quâ quis in hac aut aliâ molâ frumentum suum conterere potest, ita coarctari & restringi possit, ut in certâ quadam molâ nolens volens molere cogatur? Si juris naturalis æquitatem intueamur, quæ actus meræ facultatis coarctari aut præscribi non permittit, in negativam concedendum. Tessaur. *d. decis. 16. n. 3.* quam etiam theoricæ veritati magis convenire existimat Bocer. *tract. de regal. c. 2. n. 180. & 2. seqq.*

25. Fluminibus subjunguntur Portus & Ripatica, quibus denotantur vectigalia, quæ ratione portuum & riparum fiscus capit *l. 17. §. 1. ff. de V. S.* & falli putamus illos, qui per portum vectigal pro transitu per pontem, uti Rosenth. *c. 5. concl. 33.* Vult. *lib. 1. de feud. c. 3. n. 7.* aut portorium ut de quo *l. 69. §. pen. ff. locati l. 203. ff. de V. S. l. 3. & l. 5. C. de vectigal. & commis.* Gœdd. *ad d. l. 17. num. 8. ff. de V. S.* intelligi existimant, quæ explicatio communi Feudistarum interpretationi adversatur. Et riparum quidem proprietas quamvis illorum, quorum prædiis hærent, & usus ipse publicus sit, proventus tamen & commoda, quæ tanquam vectigal quoddam occasione riparum percipiuntur, Principis sunt, & Regalibus annumerantur. Vid. Alvarot. Andream de Isern. Matth. de Afflict. Præpos. Cujac. *in 2. F. 56.*

26. Cæteris, quæ sequuntur, Regalibus nunc omissis, de Vectigalibus hæc saltem breviter attingere placet: An rei à vectigalium onere immunis omissa professio cõmisso locum faciat, & an culpa vectoris nautæ, aurigæ, vel etiam Institoris vectigal non solventis Domino obsit? Prius negandum censemus, cùm id nullibi in jure traditur, sed contrarium *per l. fin. §. quoties. ff. de publican. & vectigal.* demonstrari possit. Posterius contra Bocerum, qui negativam defendit *tr. de Regal. c. 2. n. 211.* affirmamus, *arg. l. 23. in fin. ff. de minor. l. fin. §. 4. ff. naut. caup. stabul.* ita tamen, ut Domino salva sit contra illos mandati actio. Pet. Frid. Mind. *ib. 2. de mandat. c. 43. num. 8.* Rosenth. *de feud. c. 5. concl. 39. lit. d.*

DISPUTATIO FEUDALIS QUINTA.

De

INVESTITURA Feudi.

RESPONDENTE

HENRICO RUSSELIO, Osnabr. Westphal.

THESIS I.

EXpositis Personis, quæ feudum dare & accipere, item Rebus, quæ in feudum dari possunt, progrediendum nunc ad Modos, quibus feudum acquiritur. Eorum tres in jure feudali nobis offeruntur, Investitura, Successio, & Præscriptio *2. F. 1. in fin. 2. F. 24. §. si quis per 30. annos.* De primo impræsentiarum; de secundo & tertio deinceps agemus.

2. INVESTITURÆ vocem quidam Latinam existimant: nos Germanico idiomati acceptam ferendam, & à vocabulo Vesten / quod firmare ac stabilire significat, dictum censemus. Accipitur tribus modis. Interdum ipsam denotat feudi possessionem *2. F. 2. pr.* nonnunquam scripturam seu instrumentum ad memoriam feudi concessi confectum, den Lehnbrieff *2. F. 8. vers. idcircò.* plerumq; verò & magis propriè ipsum investiendi actum *2. F. 1. in fin. 2. F. 11. pr. & 33. in pr.* Germ. die Belehnung Vult. *lib. 1. feud. c. 7. n. 6.*

3. Definitur juxta postremam acceptionem Investitura, quòd sit contractus solenni feudi cessione constans. Contractum esse texx. *2. F. 6. 2. F. 26. §. si facta. junct. l. 19. ff. de V. S. item 1. F. 2. vers. tunc condictio causâ datâ & 2. F. 2. §. ult.* abundè probant. An verò nominatus vel innominatus, bonæ fidei aut stricti juris sit, de eo inter Dd. non convenit. Nos & nominatum cum Gloss. & Bart. *in rubr. C. de permut.* Jul. Claro *in §. Feudum. q. 6.* Zasio *epit. Feud. p. 1. num. 5.* Rosenthal. *cap. 1. concl. 4.* Schrad. *p. 2. c. 2. n. 3.* & bonæ fidei esse *arg. 2. F. 7. §. fin. vers. quod si differat.* item *2. F. 8. 25. 46. 80.* cum Duareno, *c. 19. num. 4.* asserimus.

4. Investitura sic definita distinguitur, quòd sit de feudo vel novo vel veteri, *2. F. 3. pr. 2. F. 32.* per illam, quod nondum erat, constituitur; per hanc, quod jam tum constitutum fuit, renovatur. Vult. *lib. 1. de feud.*

c. 7. n. 7. Illa κατ' ἐξοχὴν dicitur Investitura, & successioni, quæ veteris saltem renovationem requirit, contradistinguitur. *2. F. 33. pr.* Communiter etiam dividitur in Abusivam & propriam per text. expres. *2. F. 2. pr.* Hanc vocamus, quâ feudum Vasallo ita ceditur, ut re ipsâ vacua ejus possessio insimul tradatur, de quâ intelligendum, quando Investitura dicitur Possessio *2. F. 2. pr.* Illam, quando nõ propriè, verè, aut realiter, possessio traditur, sed vel verbis tantùm vel Symbolis aut signis (gladio fortè, vexillo, sceptro, annulo, hastâ, baculo porrectis & apprehensis) voluntas Domini declaratur. De hisce Symbolis vid. Vult. *l. 1. c. 7. num. 29*

5. Quamvis autem Abusiva hæc investitura possessionem realem non tribuat, per eam tamen licentiam datam esse investito eandem propriâ autoritate apprehendendi communiter existimatur, *arg. cap. per tuas.* ubi Gloss. *ext. de donat.* Jacobin. de S. Georg. *tract. de feud. in verb. eumq; investivi. num. 3.* Clarus §. *feudum. q. 26. n. 1.* Sonsbec. *p. 9. n. 31.* Hartman. Pistor. *p. 2. q. 25. n. 26.* quam opinionem contra Arumæum *Disp. feud. 5. th. 8.* neutiquam erroneam arbitramur.

6. Sed an per Abusivam investituram utile dominium in Vasallum quoq; transfertur? Ita quidem sentit Duaren. *in consuet. feud. cap. 7. n. 6.* quem operosè defendit Niellus *disp. feud. 4. th. 3.* Nobis autem contrarium videtur probabilius, adeoque non magis dominum quàm possessionem in abusivè investitum transire statuimus *arg. l. 20. C. de pact.* Jacobin. de S. Georg. *d. n. 3.* Ardizon. *in sum. c. 39.* Schneidew. *de feud. p. 4. n. 9. 10. 11.* Rosenth. *c. 6. concl. 11. & ibi alleg. lit. b.*

7. Quod si tamen in præsentiâ rei feudalis & sub ejus aspectu facta sit *arg. l. 1. §. si jusserim ff. de acquir possess. l. 74. ff de contrah. empt.* vel Dominus nomine Vasalli possidere constituerit *l. 18 ff. de acquir. poss.* vel tempore investituræ Vasallus rem concessam ex aliquâ causâ jam teneat. *arg. §. 43. Inst. de R. D.* tunc & possessionem ac insimul jus in re investitum transferri minimè est ambigendum. Schrad. *p. 5. c. 2. num. 15.* Schneid. *p. 4. n. 10. & 11.* Si quoque adhibitis solennibus ceremoniis & porrigendo Symbolum aliquod corporeum Dominus jubeat Vasallum ire in possessionem prædii feudalis, & illud pro feudo tenere, non solùm jus apprehendendi possessionem, sed & feudum ipsum eo modo à Vasallo acquiri negari non potest *2. F. 33. pr.* Hisce casibus & fortè similibus exceptis, per abusivam investituram feudum reverà non acquiritur, sed obligatorie jtantùm constituitur.

§. Ex-

8. Ex hac obligatione verò investiens ad vacuam possessionem rei illius, de quâ Vasallum investivit, tradendam præcisè, modò tradendi facultatem habeat, compelli potest *l. F. 4. pr. ibi: cogitur dominus 2. Feud. 7. §. 1. ibi. omnimodo cogatur. 2. Feud. 26. §. si facta. ibi: compellendum arg. §. 2. Inst. de dotat. l. 11. §. 2. l. 31. ff. de act. empt. l. 80. §. fin. de contrah. empt.* quò pertinet, quòd inter dominum & Vasallum mutua sit obligatio, *arg. text. 2. F. 6. §. sed quia. vers. dominus*; & uti hic statim post Investituram saltem abusivè factam illi ad fidem & servitia, *2. F. 3. §. 1. in fin.* ita ille vicissim huic ad rei præstationem & traditionem præstandam præcisè est obligatus *d. tex. 2. F. 3. §. 1.* Zas. *p. 6. num. 12.* Sonsbec. *p. 9. n. 32.* Schrad. *p. 5. c. 2. n. 19.* Rosenth. *c. 6. concl. 7.* Mynsing. *4. obs. 61.*

9. Constituitur nonnunquam feudum obligatoriè, antequàm fiat investitura, idque vel inter vivos, vel mortis causâ. Inter vivos pollicitatione *l. 3. pr. l. 4. l. 6. ff. de pollicit.* vel conventione eâque tam gratuitâ, ut donatione *argum. omnium texx. in quibus feudum dicitur beneficium. 1. F. 1. §. & quia vidimus. §. hoc quoq; 1. F. 13. §. ult. 1. F. 15. 16. 17. 18. 19. in fin. 2. F. 11. pr. 2. F. 12. 21. 22. 23.* quàm onerosâ, uti emptione *1. F. 1. in fin. 1. F. 2. 1. F. 7. vers. vel nisi emerint. 1. F. 16. & 20. 2. F. 12.* vel permutatione *1. F. 4. §. cùm autem. 1. F. 22. §. si quis. 2. F. 22.* Mortis causâ per ultimam voluntatem in testmento, codicillis aut donatione mortis causâ declaratam *arg. t. Inst. de L. Fus. Canin. toll. §. 1. de usufr. §. 2. Inst. de servit. præd. l. 7. pr. ff. de usufr.*

10. Quæritur autem, an, feudo illis modis constituto, is, qui constituit, ad Investituram faciendam & inductionem in possessionem vel traditionem ejus eodem modo præcisè obligetur, ut præstando fortè interesse liberari non possit? Et quia liquidi juris est, debitorem rei certæ non aliter, nisi eam tradendo ab obligatione liberari *l. 75. §. ult. ff. de V. O.* etiam illum, qui paratus est fidelitatem præstare, Dominum investire teneri, *2. F. 3. §. ult.* affirmantium partes contra communem amplecti satius videtur. Ad servandam autem fidem Dominus actione illa, quæ datur ex isto, quo feudum constitutum est, negotio, meritò adigitur Duaren. *de feud. c. 18. num. 2. 2.* Rosenth. *c. 12. concl. 1.*

11. Non exigui momenti & hæc est quæstio; si duo abusivè à Domino sint investiti, & secundo possessio feudi tradita, uter in eo obtinendo debeat esse potior? Sanè qui per investituram abusivam utile dominium in Vasallum transferri autumant, non possunt non præferre priorem: quia verò hanc sententiam paulò ante rejecimus, posteriorem (excepti

tamen casibus suprà recensitis, quibus possessionem per investituram abusivam in Vasallum transire diximus) quoad rem in feudum concessam retinendam primo investito præferendum esse existimamus *arg. l. quoties 12.* ubi Jas. *num. 30.* Glos. & Feudist. *commun. in §. si facta 2. F. 26.* Jacob. de S. Georg. *in tract. feud. verb. investivi. n. 4.* Zas. *p. 6. num. 12. & 13.* Sonsbec. *part. 9. n. 33.* & latè Hartman. Pistor. *2. quæst. 29. num. 11.* Rosenth. *c. 6. concl. 9 10. 11.*

12. Cæterùm Investitura quatuor potissimùm partibus (quarum tamen ultimam in Impropriâ seu abusivâ deficere jam tùm diximus, absolvitur, 1. legitimâ ejus petitione, 2. testatione, 3. fidelitatis promissione, & 4. in possessionem inductione. Petitur Investitura vel de feudo novo vel veteri. Illam petit is, cui feudum ab aliquo obligatoriè est constitutum: hanc agnati proximi aliive feudi successores vel omnes simul, vel per unum ad hoc speciali mandato instructum. Vult. *lib. 1. c. 7. n. 91. 92. 93.* eaq; petitio omnibus successoribus præcisè est necessaria, quamvis Vasallus fidelitatem domino ejusq; successoribus juraverit. *arg. §. 9. C. de caduc. toll.* Schneid. *p. 5. n. 7.* Vult. *d. c. 7. n. 88.* Schrad. *p. 6. c. 1. n. 4.*

13. Petitur Investitura vel ejusdem renovatio à Domino, vel pluribus æquale jus in re habentibus. Domino verò defuncto, & relictis pluribus heredibus, numquid à singulis Investitura est petenda? Variant hîc non leviter interpretes, ex quorum diversis sententiis hanc eligimus, quòd petitio ab uno cæterorum omnium nomine fieri possit *arg. l. 56. ff. de condit. & demonstr. 2. F. 55. §. præterea ducatus* Zas. *part 7. num. 11.* Modestin. Pist. *2. q. 47. n. 25.* Schrad. *part. 6. c. 1. num. 14.* Vult. *d. c. 7. num. 94.* quem ut ex sese eligant, investiendus ab heredibus desiderare debet: iis verò inter se dissidentibus, Vasalli arbitrio, ut (habito tamen ætatis & præeminentiæ respectu) aliquem eligat, relinquendum *arg. l. 10. §. ult. ff. de jur. dot. l. 3. §. 4. ff. ad Sc. Silan. l. 5. ff. de jur. immun. l. 77. §. 21 ff. de legat. 2.* Clar. *§. feudum q. 59. num. 11.* Rosenth. *c. 6. concl. 38. n. 11. & ibi not.*

14. Debet petitio hæc fieri congruo imprimis tempore, quod in novâ investiturâ est arbitrarium, nec certò definitum: ter autem admonitus petere nolens feudo cadit *2. F. 24. §. est & alia.* Renovatio autem investituræ veteris, quandocunq; casus, quo vel ex consuetudine (quæ imprimis Domini aut Vasalli mutationem spectat *1. F. 22. pr.*) vel conventione evenerit, præcisè intra annum & diem peti debet *2. F. 24. pr. 2. F. 40. 2. F. 52. §. 2. 2. F. 55. in fin. pr.* Clar. *d. q. 49.* Zas. *p. 7. n. 1.* Sonsbec. *p. 11. num. 7.*

15. Tem-

15. Tempus autem hoc Vasallo currit à tempore scientiæ, quàm primum scil. comperit aut feudum sibi delatum esse, aut Domino defuncto alium successisse, 2. F. 9. §. *donare vers. porrò. arg. l. 2. C. qui admit. ad bon. possess. pos.* Zas. *p. 7. n. 2.* Sonsbec. *p. 11. num. 10.* Gail. 2. *obs. 48. num. 8.* Mynsing. *cent. 5. obs. 9.* idq; à Domino, invito Vasallo, coarctari *arg. l. 74. l. seq. l 186. ff. de R. J. l. 17. §. 4. in f. ff. de pact. c. indultum 27. de R. I. in 6.* vel etiam prorogari nequit. Schrad. *p. 6. c. 2. num. 7.* Vult. *d. c. 7. num. 63.*

16. Non petens (& quidem ultrò, non expectatâ domini citatione *2. F. 24. pr. 1. F. 22. & ibi Feudist.*) intra prædictum tempus Investituram, feudum amittit *2. F. 24. pr. 2. F. 52. §. ult. 2. F. 55. §. præterea* nisi justa quapiam de causâ excusationem mereatur *1. F. 22.* ubi quædam causæ recensentur, de quibus aliisq; Schrad. *d. p. 6. c. 2. num. 15. & aliquot seqq.* Vult. *d. c. 7. num. 73. & seqq.* Dominus quoq; vicissim, si investituram intra legitimum tempus à Vasallo petitam malitiosè differat, jus suum in feudo perdit. Schrad. *d. c. 2. n. 7.* Jacob. de S. Georg. *in verb. Investivi. num. 4.*

17. Locus, in quo petitio hæc fieri debet, competens regulariter est Domini curia, aut locus habitationis consuetæ; nisi vel de concedendo feudo novo in certum quendam locum Dominus Vasallum citaverit, vel de eo in primâ investiturâ cum ipso convenerit *l. 19. §. 1. & ult. ff. de judic. t. t. ff. de eo quod cert. loc.* Alioquin extra prædicta loca Dominum sequi Vasallus non tenetur, nisi sit in loco vicino, quò Vasallus sine magno sumptu pervenire possit *l. 13. in f. ff. de ann. legat. l. 35. §. 2. ff. de procurat.* Schenck. *ad 2. F. 24. n 7.* Schneidew *p. 5. num. 40.*

18. Modus deniq; petendi specialiter quidem & per certam formulam, in jure feudali non est expressus: id tamen, ut petitio hæc cum præfatione honoris, devotè, reverenter & obsequiosè fiat, præcipitur. *2. F. 22. vers. curia autem, & 2. F. 23. vers. quod* idq; juxta ritum, ac ceremoniam, quam cujusq; loci consuetudo postulat. Lindeman. *exerc. feud. 2 th. 38.*

19. Secundum ad solennitatem investituræ requisitum est Adhibitio testium *2. F. 2. pr. & 32. in pr.* ad minimum duorum *1. F. 26. §. si quis. 2. F. 2. pr.* qui ratione qualitatis esse debent homines liberi *2. F. 58. §. 1.* masculi *2. F. 32. §. ult.* & regulariter pares curiæ *1. F. 2. §. 1. 1. F. 3. 1. F. 4. §. 1. ibi: coram paribus, & alibi*, quos exclusis extraneis, solos novæ investituræ, & quidem pro solennitate adhiberi est necesse *d. pr. F. 2. 2. F. 32. & 2. F. 58. §. idcircò*, Schenck. *ad 2. F. 32. pr.* Bocer. *cl. 5. disp. 16. thes. 15.*

lit. d. Sive revera pares sint, sive communi hominum opinione pro talibus habeantur. *arg. l. 20. §. 7. ff. qui testam. fac. pos. §. 7. Inst. de testam. ordin. l. 3. ff. de off. prætor.* Schrad. *p. 5. c. 2. n. 11.* Vult. *d. c. 7. n. 23.*

20. Pares si fortè peregrè absunt, citaudi à Domino, & aliquamdiu reditus eorum expectandus *2. F. 33. vers. nec dicatur* Sonsbec. *p. 9 num. 15.* quod si verò intra justum tempus non redierint, etiam coram extraneis testibus investiendi negotium expediri potest, non secus, ac si Dominus pares curiæ nullos haberet *2. F. 33. §. quod autem dictum. 2. F. 2. §. si autem investitura*, aut quos habet, tempore investituræ faciendæ fortè sint inhabiles & minùs idonei *arg. l. 6. ff. qui satisd. cog. l. 11. §. 1. ff. de mun. & honor.* aut curiæ consuetudine receptum, aut loci statuto specialiter id cautum fuerit, ut extranei queant adhiberi *arg. 2. F. 1.* Schrad. *p. 5. c. 2. n. 10. & seq.* Ad novam verò investituram quam Clericus facit, non tantùm pares curiæ, verùm etiam extranei testes adhiberi queunt *1. F. 26. §. hæc omnia c. 2 ext. de feud.* Duaren. *c. 6. n. 4.* Sonsbec. *p. 9. n. 19.*

21. Tertiò ad solennitatem investituræ requiritur Præstatio fidelitatis (German. die Lehns Pflicht) quæ investituram diverso respectu & sequitur *2. F. 4.* & antecedit *2. F. 3. §. nulla. in fin. 2. F. 24.* Arum. *disp. 5. th. 26.* eaque duplex est, vel sine juramento vel cum juramento *2. F. 3. in fin.* Hæc regulariter de quovis feudo etiam modico Rosenth. *c. 6. concl. 67.* & franco Jacobin. de S. Georg. *tr. de feud. in verb. Investiti. num. 74.* ab omnibus, modò legitimæ sint ætatis *2. F. 26. §. si minori & seq.* fieri debet, nisi eo pacto feudum sit constitutum, ut sine juramento fidelitatis habeatur *d. tex. 2. F. 3. in fin. 2. F. 24. §. est & alia ingratitudo. vers. si tamen beneficium*; Unde & juramentum hoc nomine fidelitatis in jure feudali simpliciter significatur *2. F. 4.*

22. Non interest autem, utrùm juramentum hoc ab ipso, cui feudum acquiritur, ac ejus nomine ab alio Procuratore scil. mandato tamen speciali ad id instructo præstetur *2. F. 3. vers. sed utrùm 2. F. 58.* Zas. *part. 7. num. 21.* idq; hodie communiter permitti, ut Vasallus per Procuratorem investituram petat ac juret, testatur Vult. *d. c. 7. n. 31.* Si tamen ex justâ & probabili causâ Dominis Vasalli præsentiam requirat, in eo obsequium exhibere illi tenetur. Rosenth. *d. c. 6. concl. 37. n. 5.* Tutores quoq; & Procuratores pro his, qui fidei illorũ sunt commissi, juramentũ præstare possunt. Schrad. *p. 6. c. 4. n. 34.* licet non cogantur *2. F. 26. §. si quis decesserit.*

23. A quo petenda est investitura, illi quoq; juramentum præstandũ juxta illa, quæ *th. 13.* dicta sunt. Formæ ejus jure feudali tres proponuntur.

tur 2. F. 5. 6. & 7. quarum argumentum in tuitione personæ, honoris & bonorum domini consistit. Sive igitur talis quædam, sive alia fuerit usitata, ea est retinenda nec potest ad insolitum juramentum Vasallus adstringi, alioqui censetur illud quoad insolita suspectum, ac per vim & metum extortum esse. Schrader. *p. 6. c. 4. num. 42.* Hartm. Hartman. *sub tit. de feud. num. 14.* Schneid. & Vult. *dd. ll.*

24. Non tamen, ut Vasallus Domino, ita vicissim Dominus Vasallo ad præstandum fidelitatis juramentum est obligatus, quia nullibi feudorum placitis illud est cautum, utpote quæ majorem de Domino habent fiduciam, quod in fide mansurus sit, quàm de Vasallo, nec ut ille, beneficium conferens cum hoc velut accipiente ad paria redigatur, æquitas admittit. Schenck. *ad 2. F. 6.* Jacobin. de S. Georg. *in verb. qui quidem investiti n. 16.* Everh. *in Top. legal. in loc. à correlat. n. 11.*

25. Ultimum Investituræ requisitum ejusq; velut consummatio est rei in feudum concessæ traditio & Vasalli in possessionem inductio, quæ & ipsa nomine Investituræ, ut suprà dictum, in libris feudorum indigitatur 2. F. *1. in f. 2. F. 2. pr. 2. F. 3. pr.* Per hanc Vasallus jus tenendæ fruendæq; rei, cujus gratiâ totus hic actus institutus est, consequitur. Nec solùm in feudo novo, quod nondum est acquisitum, sed etiam veteri, si heres aut successor illud nondum tenet, possessionis apprehensio est necessaria, quam solâ successione is non acquirit. *l. 23. §. 1 ff. acquir. poss.* Gail. 2. *obs. 152.*

26. Sed quid, si partis tantùm possessionem nactus est Vasallus, num eo ipso possessionem feudi totius acquisivisse dicendus est? Quòd omninò asserendum, si de latifundio plura prædia connexa comprehendente fit investitus, *l. 3. pr. ff. de acquir. poss.* Secus si de pluribus ac distinctis rebus, quarum una velut principalis cæteras non comprehendit. Glos. & Dd. *in d. l. 3. pr. ff. de acquir. poss. arg. l. 1. §. veteres & l. 48. ff. eod.* Schrad. *p. 2. c. 5. n. 25.*

27. Modus Investituræ Accidentalis & ex conventione est, quòd possit fieri vel purè vel in diem & sub conditione. Rosenthal. *c. 6. concl. 23.* Investituræ Conditionalis frequens & vulgare est exemplum, quando qui investitur de feudo ab alio possesso in casum, quo ad Dominum sit reversurum, quam investituram vocant Expectativam, German. eine Expectantz oder Anwartung, item ein Gnadenlehn. Et hanc de jure feudali, sive sciente & consentiente, sive ignorante Vasallo possidente, validam esse, textus expressi confirmant 2. *F. 26. §. moribus. 2. F. 35. §. ubi verò. 1. F.*

rò. 1. F. 3. 9. 27. *vers. si quis investiverit.* Gail. 2. *obs.* 155. Vult. *lib. 1. de feud. c. 7. n. 48.* Valet etiam eo casu, quo Vasallus feudi possessor filios feudi successores habet, si sine illis decesserit; idq; ob generalitatem textus 2. F. 35. & eandem in utroq; casu rationem. Hartman. Pistor. *p. 2. quæst. 25. num. 19.* Vult. *d. c. 7. num. 49.*

28. Investitutus hoc modo, in casum fortè mortis, spem feudi acquirendi in heredes transmittit, quamvis Vasallo possessori præmoriatur, *arg. 1. F. 9. pr. ibi: investito vel heredi ejus. arg. l. 57. ff. de V. O. §. 4. vers. ex conditionali Inst. eod.* Rosenth. *c. 6. concl. 17.* Schrad. *p. 3. c. 2. n. 21.* Niell. *d. 3. th. 4. lit. b.* nec illam eo casu, quo Dominus præmoritur, antequam feudum aperiatur, amittit, *arg. l. 13. & l. fin. C. de contrab. & commit. stipul.* Ubi tamen inter Laicum & Clericum distinguendum, quorum ille antecessoris sui promissum adimplere tenetur, hic ab eodem adimplendo est immunis *1. F. 3. vers. 1. F. 9. 2 F. 26. §. moribus 2.* Quod & ad Imperatorem Romanum & alios jure electionis succedentes extendendum. Rosenth. *d. concl. 17. num. 2.* Schrader. *l. 3. c. 2. num. 25.* ubi plures adducit juris hujus limitationes.

29. Solent quoque pacta varia adjici investituræ, quæ, si honesta sunt & licita, nec feudi substantiam evertunt, quamvis naturæ ejus derogent, servanda sunt *arg. §. 24. Inst. de inutil. stipul. l. 26. ff. de V. O. l. 1. l. 48. ff. de pact. c. 1. & 3. ext. eod.* In quorum numerum referendum est etiam illud, quod de solvendo pro renovatione investituræ, quam aliàs gratis facere Dominus tenetur, laudemio seu Relevio (vulgò Lehnwahr) est initum, de quo onere etiam passim locorum statuta peculiaria & consuetudines habentur, quæ omninò strictè accipiendæ, nec extra casus expressos ac solitos extendendæ sunt. Schrad. *p. 6. c. 3. n. 34.*

30. Illicita autem planè & honesta sunt pacta v. c. ne à Domino & Vasallo invicem præstetur fidelitas, *arg. l. 7. §. 7. ff. de pact. l. 9. §. 3. ff. ad exhib.* pactum Legis commissoriæ *2. F. 27.* item, ut litè per Dominum mota, nudæ assertioni Domini credatur *l. un. C. ne quis in suâ re jud. l. 17. ff. de judic.* Non tamen prorsus illicitum est & injustum, quo convenit, ut propter filii delictum pater etiam feudum amittat. *arg. l. 38. §. 2. & §. 21. ff. de V. O.* Rosenth. *c. 6. concl. 23. lit. 1.*

31. Denique Investitura etiam in scripturam redigi solet ac instrumentum, quod breve testatum dicitur *1. F. 2. §. 1. 2. F. 32. & alibi.* Hoc petenti Vasallo Dominus; & huic vicissim Vasallus Antapocham (vulgò Reversale) dare tenetur *arg. l. 19. ubi Dd. C. de fid. instrum.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777867001/phys_0046
DFG

DISPUTATIO FEUDALIS SEXTA.

De

Successione in feudo Descendentium

RESPONDENTE

Diederich Adolph Kleinsorgen / Lemgoviâ Westphalo.

THESIS I.

PEr Investituram, de quâ præcedenti actum est disputatione, Feudum Novum acquiritur; Paternum verò seu antiquum Successione obtinetur, de qua, velut secundo feudum acquirendi modo, nunc agemus. Fit autem successio fermè juxta juris civilis dispositionem, quâ succeditur ex lege seu ab intestato: Nam Testamentaria dispositio, cujus aliàs in jure civili prior & potior est ratio, *l. 39. ff. de acquir. her. l. 89. de R. I.* locum in feudis non habet, *l. F. 8. in fin. pr.* Srchad. *p. 7. tract. feud. c. 2. n. 1.* Rosenth. *c. 7. concl. 2. num. 2. & ibi in not. sub lit. c. & d.*

2. Et quamvis quidem de feudo Novo nonnulli in præjudicium filiorum testamentum ordinari posse putant vel simpliciter, vel saltem, cum consensu domini, Clar. *in §. feudum. quæst. 40. num. 6.* Mich. Grass. *in recept. sentent. lib. 1. §. Legatum quæst. 14. num. 20.* Hartm. Pistor. *lib. 2. quæst. 4. num. 23. 44. & seqq.* Fachin. *lib. 7. contr. 8.* negantium tamen opinio veritati propiùs accedere videtur *per tex. general. d. pr. 1 F 8 junct. l. 3. in fin. ff. de off. præs. l. 1. §. 3. vers. & est relatum. ff. de aleat.* Facit. *l. 31. pr. ff. de hered. instit* Pinell. *in l. 1. part. 3. num. 97. C. de bon. mater.* Vult. *lib. 1. cap. 9. num. 79.*

3. Quæ assertio in tantum procedit, ut Pater non magis in hoc, quàm antiquo feudo, per præceptionem seu prælegatum, ut filii sui inæqualiter succedant, disponere possit, cùm ex jure primæ concessionis omnes primi acquirentis descendentes æqualiter jus quæsitum habeant, quod ipsis invitis nullâ ratione debet auferri *arg. §. ult. Inst. de his qui sui vel al. l. 11. ff. de R. L. l. 55. ff. de legat 2. l. 10. §. fin. ibi: cùm enim semel*

beneficio. ff. de bon. poſſeſ. cont. tab. Jacobin. de S. Georg. *in verb. & cum pacto num. 2.*

4. De feudo franco quin idem ſit ſentiendum, nullum eſt dubium. Hoc enim, per regulam generalem ſuprà de feudis impropriis in univerſum traditam, quoad omnia, quæ in illo mutata non ſunt, feudi proprii naturam retinet. Zaſ. *p. 12. n. 3. & 37.* Sonsbec. *p. 4. num. 32. & part. 12. num. 89.* Schrad. *part. 7. c. 2. num. 41.*

5. Limitatur autem prædicta ſententia, ſi feudum abſolutè ſit hereditarium, & allodii jure cenſeatur: tunc enim æquè ac cætera allodialia & inter vivos alienari & per ultimam voluntatem in alium etiam extraneum transferri poteſt 2. *F. 43. 2. F. 26. §. feudum & ibi* Schenck. *arg. l. 21. C. mandat.* Clar. *in §. feudum. q. 9. n. 2. & q. 31. n. 8. q. 40. num. 2.* item ſi Domini & legitimorum feudi ſucceſſorum conſenſu ſaltem tacito teſtamentum fiat ſive de feudo antiquo ſive novo *arg. tex. 2. F. 39. & 1. F. f.* Roſenth. *d. c. 7. concl. 4 & 5.* Idem eſt ſi conſuetudo regionis ita ferat, ut de feudo liberè teſtari ſit permiſſum *arg. l. 32. ff. de LL.* Zaſ. *part. 8. num. 63.* Gudelin. *p. 3. comment. de jur. feud. c. 1. in fin.*

6. Hiſce caſibus exceptis, omnis de feudo ſuprema voluntas eſt invalida, adeò ut ex communi opinione nec æſtimatio ſaltem feudi teſtamento relicti, aut legati, deberi videatur, tum per regulam generalem jam traditam, quòd diſpoſitio teſtamentaria de feudo nulla ſit, *arg. l. 5. C. de LL.* adeoq; nullum effectum producere queat, tùm quòd Uſusfructus, cujus inſtar feudum eſt, velut jus aliquod perſonale inutiliter legetur *l. 24. §. 1. ff. de legat. 1. l. 20. C. de legat.* Clarus §. *feudum. q. 40. n. 4.* Sonsbec. *p. 12. n. 88.* Graſſus §. *legatum n. 14.* Vult. *lib. 1. c. 9. n. 72.* Placet tamen exercitii causâ, cum jure feudali, quòd res aliena legari poſſit, nullibi ſit correctum, contrarium cum Bachov. & Hunn. *ad vol. 2. Trl. diſp. 13 th. 5. lit. G. arg. l 32. C. de appell. defendere.*

7. Sed miſsâ ſucceſſione in feudis teſtamentariâ, velut irregulari, videamus jam Regularem ſeu Legitimam, de quâ hoc tenendum, quod quidem non tàm ex jure defuncti pendeat, quàm jure ſuccedentis proprio nitatur, ut is non tam in locum illius, quàm primi acquirentis ſuccedere videatur. Unde & pro regulâ traditur, ultimam agnatam ſemper eſſe primi acquirentis ſucceſſorem Gail. *2. obſ. 149. num. 3.* Quia tamen miniſterio ultimi poſſeſſoris feudum defertur, idcirco & idem rectè ſuccedi dicitur, & proximitas in ſucceſſione feudali non reſpectu primi acquirentis, ſed ultimi poſſeſſoris defuncti conſideratur, & qui huic gradu

eſt

est proximior, excluso remotiore, ad successionem admittitur. Schrader. *p. 7. c. 7. num. 19.* Rosenth. *c. 7. concl. 57. num. 19.* Ern. Cothman. *vol. 1. consil. 26. n. 325.*

8. Ordo succedendi, velut in jure civili, ita procedit, ut prima causa sit Liberorum, seu Descendentium, idque ob naturalem rationem & commune parentum votum, quo bona parentum omnia liberis deferri & addici debent *l. 7. ff. unde lib. 7. ff. de bon. damnat.* Oportet autem eos esse legitimè natos, & tunc non attentâ emancipatione, quæ nec in allodialibus ampliùs servatur *Novel. 118. c. 1. Auth. in successione C. de suis & legit. hered.* omnes pari jure in feudis non regalibus succedunt. In Regalibus verò, quæ divisionē regulariter non patiuntur, *2. F. 55. §. præterea* primogenitus præfertur, idq; sine distinctione temporis sive ante, sive post dignitatem patris fuerit natus, nisi peculiari lege investituræ aliud sit cautum. Hotom. *illustr. quæst. 2.* Pet. Gregor. Tholos. *lib. 7. de repub. cap. 9.* Frider. Schenck. *ad 1. F. 14. circ fin.* Bodin. *lib. 6. de repub. c. 5 n. 714.*

9. Naturalibus liberis Adoptivi, legitimè natis illegitimi specialiter naturales dicti (nam Spurii, Adulterini, Incestuosi neutiquam in considerationem hîc veniunt) opponuntur. Illi, sive sint adoptivi in specie, sic dicti, sive arrogati, cùm à primo acquirente non descendant, ad quos & dans & accipiens feudum in investitura respexisse censentur, à successione excluduntur *2. F. 26. §. adoptivos*, nisi aliud pacto sit provisum, aut consuetudine loci receptum. Idq; in tantum verum, ut nec principis autoritate eum in finem arrogatus, ut etiam in feudo succedat, in præjudicium agnatorum admitti possit *arg. l 2. l. 7. C. de prec. imp. off. c. quamvis. de rescript. in 6.*

10. Hi (Naturales scilicet) extra matrimonium ex soluto & solutâ nati æquè non admittuntur *per d. tex. 2. F. 26. §. naturales.* quamvis fortè deinceps fiant legitimi *d. §. naturales* quod tamen de legitimatis per rescriptum principis, aut oblationem curiæ, est intelligendum: nam quod attinet legitimatos per subsequens matrimonium, consentiens plerorumq; interpretum & vera est sententia, eos non secus in feudis, ac in reliquis rebus vel solos, vel uuà cum aliis succedere. *arg. c. tanta extr. qui fil sint legit.* Frid. Schenck. *add. §. naturales 2. F. 26.* Clarus *in d. §. feudum. q. 81. n. 4.* Hartman. Pistor. *lib. 2. quæst. 41. n. 1.* Schrad. *p. 7. c. 5. num. 21.* quam sententiam etiam Cameræ imperialis præjudicio adprobatam esse testatur *Gail. 2. obs. 141. n. 2.* Mynsing. *c. 5. Obs. 52.*

11. Nec tamen sufficit liberos esse naturales & legitimos simul, nisi & aliam ob causam succedere non prohibeantur. Nam v.c. Clerici & Fœminæ, utut sint legitimi, tamen feudi non sunt capaces. Et Clerici quidem in feudo succedere expresse prohibentur *per tex. 2. F. 21. 26. §. qui clericus 30. §. ex hoc & 36.* quamvis ex superiorum ordine, cùm & clericorum nomine contineantur. *2. F. 40. §. item si clericus.* Rosenth. *c. 7. concl. 29. num. 9. & 10.* Vult. *lib. 1. c. 9. num. 67.*

12. An autem hæc prohibitio Clericorum sese extendat etiam ad istiusmodi feudum, ex quo non personale aut militare, sed reale servitium est præstandum, item ad feudum fœmineum & emptum, non eorum omnium est opinio. Nos, quia regulâ generali successio clericorum vetantur, à quâ istiusmodi feuda non excipiuntur, negantium opinioni accedendum censemus. Idem etiam, ob eandem rationem, si dictum sit, ut per substitutum Vasallus servire possit, statuendum. Quod si tamen pacto investituræ id fuerit provisum, ad successionem admittuntur. Boer. *cl. 5. d. 18. th. 9.*

13. Quid autem de militibus ordinum quorundam sacrorum Hierosolymitanis, Rhodiis nunc Melitensibus, Teutonicis & similibus sentiendum, num hi feudorum erunt capaces? Vix videtur asserendum, cùm negari non possit, & hasce personas esse religiosas & Deo dicatas. Glor. *in clem. quia contingit de R. D. verb. militarium.* nec obstantibus ordinum legibus ad nullum aliquod militare servitium, nisi contra infideles, se obstringere ac devincire posse. Menoch. *de arb. jud. quæst. cas. 231. num. 5.* Cacher. *decis. Pedemont. 27. num 18.*

14. Fœminæ quoq; à successione feudorum ordinariè repelluntur *2. F. 1. §. hoc autem notandum. 1. F. 8. §. filia verò 2. F. 11. §. 2. 2. F. 50.* quod & ad descendentes ex fœminis, licet mares sint, extenditur. Schneidew. *§. 6 num. 16.* Rosenth. *c. 7. concl. 109.*

13. Diversum quidem nonnulli obtinere putant in feudo pecuniario. Ita Clarus *d. §. feudum. quæst. 73.* Gail. *2. obs. 159. num. 3. & 4.* sed pro negantibus militat regula generalis, quod fœminæ in feudis non succedant *1. F. 1. §. hoc autem notandum.* cui standum, donec contraria exceptio probetur. *Dd. in l. 1. de R. J.* Fachin. *7. contr. 37.* Hartman. Pistor. *2. quæst. 34. num.* Ex qua ratione etiam fœminam in feudo franco Zasius *12. num. 3.* Sonsbec. *p. 4. num. 6.* & ligio. Schrad. *part. 7. c. 4. num. 9.* succedere posse negamus, nec bellicosam, si qua est, aut armis adsuetam admittimus. Vult. *lib. 1. c. 9. n. 59.* Hartm. Pistor. *d. q. 34. num. 3.*

19. Non

16. Non refert etiam, quod feudum simpliciter aut generaliter primo acquirenti ipsiusq; heredibus sit concessum, quia heredum appellatione in jure feudali tantùm masculi, non fœminæ significantur *1. F. 13. §. & si clientulus. 1. F. 18. 1. F. 34. §. similiter* nec distinguendum est, utrum feudum novum, vel antiquum, magnum aut modicum sit. Rosenth. *d. c. 7. concl. 31.*

17. Quandoq; tamen in feudis fœminæ succedunt, & hisce præsertim casibus, 1. si feudum eo pacto datum sit, ut & fœminæ in eo succederent *1. F. 1. §. hoc autem notandum. 1. F. 14. §. fin. 2.* F. 2. *§. fin. 2. F. 11. §. ad filias 2. F. 50. pr.* 2. si feudum constitutione suâ sit fœmineum *1. F. 8. §. filia verò 2. F. 30. & 50.* 3. si consuetudine aut statuto contra communem feudorum dispositionem peculiariter id sit receptum *arg. l. 9. ff. de J. & J. l. 32. ff. de LL.* Schneid. *p. 6. c. 1. n. 30.* Schrad. *p. 7. c. 4. num. 53.* Nicll. *d. feud. 5. th. 4.*

18. Circa feudum absolutè hereditarium, quod acquirenti & quibuscunq; ejus heredibus, aut quibus ipse dederit, fuit concessum *2. F. 48.* anxiè admodum fluctuant Interptetes, utrùm & in eo fœminæ succedant. Et quamvis hujusmodi verba secundùm subjectam materiam intelligi, & ad personas habiles restringi velint negantis sententiæ patroni, Zas. *p. 8. num. 62.* Schenck. *ad §. donare. n. 4. 2. F. 9.* Vult. *d. c. 9. n. 29.* ob generalitatem tamen Investituræ, & proprietatem feudi absolutè hereditarii suprà propositam, affirmativam sententiam amplectimur, quam sequuntur Clar. *§. feudum. q. 9.* Gail. *2. obs. 154. mult.* Fachin. *7. contr. 6.*

19. Sed prædicti casus, quibus fœminæ ad successionem vocantur, tunc demum effectum sortiuntur, si masculi nulli extent *1. F. 6. §. quin etiam. 1.* F. *8. §. fin. 2.* F. *51. §. similiter:* ex primo scil. acquirente 2. F. *17.* Nam si à diversis acquisitoribus primis descendant, masculus fœminæ non debet esse impedimento. *2.* F. *18.* Duaren. *de feud. c. 10. num. 11.* Vult. *d. cap. 9. num. 49.* Aliud etiam dicendum, si in investiturâ convenerit, ut masculi pariter & fœminæ Rosenth. *c. 7. concl. 24. & 28.* vel masculi simul cum fœminis succedant Schneidew. *d. c. 1. n. 44.* Zasio *p. 8. n. 40.* Hartm. Pistor. *2. q. 35. n. 29.*

20. Exclusam autem semel ob existentiam masculi fœminam non in totum & semper exclusam esse existimamus, licet textus *1. F. 6. §. quin etiam.* contrarium velle videatur. Regula enim juris feudalis est certissima, quod masculis in feudis, quæ ad fœminas ex pacto aut natura pertinent, deficientibus, locus succedendi fœminæ pateat. *2.* F. *17. 1.* F. *8.*

§ *filia.* quam uno saltem casu eveniente totam enervari ac everti sine clarâ juris feudalis dispositione minùs tutò est dicendum. Et hanc sententiam metitò ac benè propugnant Sonsbec. *p. 9. num. 150. & aliquot seqq.* Hartm. Pistor. *lib. 2. quæst 36. num. 11.* Rosenthal in Synops *jur. feud. c. 7. concl. 44. num 3. & seqq.* Vultej. *lib. 1. de feud. c. 9. num. 52.* Mynsing. *cent. 5. obs. 74. num. 8.*

21. Quod si semel, non extante masculo, ad successionem admissa fuerit fœmina, superveniente posteà masculo non removetur: quippe textus feudales fœminam extante masculo à feudo acquirendo quidem repellunt, non autem ab acquisito removent. *1. F. 6. §. quinetiam. 1. F. 8. §. filia 2.* F. *11. §. ad filias 2. F. 17. 43. & 50.* & semel alicui quæsitum sine facto aut culpâ ipsius illi non auferendum. *arg. l. 11. ff. de R. J. l. 35. de A. R. D.* sed censetur esse perpetuum *arg. l. 16. C. de probat.* Frid. Schenck *ad 2. F. 17.* Zas. *p. 8 n. 53.* Clar. *in § feudum q 80.* quod & eo casu, si jure succedendi fœminæ delato, antequam fortè investiatur, masculus fuerit natus, dicendum. Vult *d. c. 9 n. 49.* Hartm. Pistor. *2. quæst 35. n. 10.*

22. Quamvis autem fœminæ in feuda regulariter non succedant, ratione tamen meliorationum ipsis satisfieri debet, sive feudum ad dominum, sive ad agnatos Vasalli devolvatur, & donec eo nomine satisfiat, si sunt in possessione, feudum retinere illis permittitur. *2. F. 28. § si Vasallus & ibi* Schenck. *n. 3.* Schrad. *p. 7. c. 3. n. 7.* Ad pecuniam quoque ex feudo redactam, quæ per se feudalis non est, Koppen *in decis. quæst. 18. num. 1.* Schneidew. *p. 2. num. 22.* item ad fructus ex feudo perceptos *arg. l. 6. §. non autem C. de bon. quæ lib.* & jus pignoris pro pecuniâ credita consentiente domino in feudo alicui constitutum admittuntur. Schrad. *d. p. 7. c. 3. num. 10.*

23. Alimenta quin fœminæ non habenti aliunde, quo se exhibeat, ex feudo decerni & præstari debeant, nullum videtur esse dubium. *arg. tex. 1. F. 6. § mutus junct. 2. F. 36.* eodemq; casu (in subsidium scilicet, ubi allodialia deficiunt) Dotem tàm ab agnatis, quàm domino illi deberi ex æquitate receptum. Vult. *d. c. 9. num. 57.* Hartman. Pistor. *d. lib. 2. q. 37. n. 4 & q. 38. n. 41.* quam tamen non ex ipso feudi corpore, sed fructibus ejus solvendam existimo. *arg. 2. F. 9. §. donare*, nisi aliud moribus sit receptum, quibus passim etiam Dotalitiorum in feudis constitutio, modò pro consuetudine locorum vel Domini solius, vel insimul etiam agnatorum consensus requiratur, est permissa ac valida, Lindeman. *exer. feud. 2. c. de succes. feudali th. 37.*

24. Hoc

24. Hoc tamen casu, quo vi consuetudinis fœminæ ex feudo dotari debent, feuda ipsa pro dote pignoris nexu illigari non crediderim, cùm certum sit, taeitam hypothecam admitti non debere, nisi lege quadam nominatim reperiatur introducta. *t. t. ff. & C. in quib. caus. pign vel hypoth. tac. contrah. l. 1. ibi: hypothecam ab ipsô lege induci C. commun. de legat. l. un. §. t. C. de rei uxor. act.* Rosenth. *c. 7. concl. 47. num 6.* Hartm. Pistor. *d. lib 2. q. 37. num. 6. & seq.*

25. An autem filiæ à feudo exclusæ Legitima ex eo à fratribus debeatur, non leviter est controversum. Distingvitur communiter inter feudum ex pacto & providentia, & feudum hereditarium : ex hoc legitimam filiæ deberi existimant, ex illo verò non item, nisi novum sit ac patris pecuniâ emptum : tunc enim, feudo penes fratres remanente, ex ejus æstimatione legitimam filiæ præstandam esse. Quod posterius citra distinctionem præmissam probamus, ne patri filias legitimâ per obliquum fraudare sit permissum *arg. l. 1. 2. & t. t. C. de inoff. donat.* Vult. *d. c. 9. n. 59.* Niell. *disp. feud. 5. th. 8. lit. 3.*

26. Juxtà cum fœminis etiam feudi incapax est Hermaphroditus, si in fœmineum magis incalescit sexum *arg. l. 10. ff. de stat. hom.* ita tamen, ut quæ de fœminarum successione nonnullis casibus locum habentes dicta sunt, in hoc quoq; Androgyno obtineant. Si verò sexu masculino prævaleat, & ad servitia præstanda est habilis, ad successionem admittitur. Sonsbec. *p. 9. num. 74.* Schneidew. *p. 6. de succes. descend. num. 39.* Schrad. *p. 7. c. 5. n. 18.*

27. Repelluntur porrò à successione animo aut corpore imperfecti : ad illos pertinent Furiosi & mente capti ; quia servitia præstare nequeunt *2. F. 36.* cui non annumerandus videtur Prodigus, utpote ad servitia non inhabilis, licet administratio bonorum curatori sit relinquenda. Vult. *d. c. 9. num. 61.* Ad hos Muti, Surdi, Cœci, Claudi aut aliter imperfecti referuntur. *F. 62. 3. 1. F. 6. §. mutus,* qui æquè ac furiosi, sive natura tales fuerint, sive ex accidenti facti sint, ita quidem, ut Medicorum ope sanari non queant, in feudo paterno indistinctè non succedunt, quamvis post acquisitionem tales sine culpâ suâ facti illud retineant. *dd. texx.* Hartman. Pistor. *lib. 2. q. 32.* Vult. *d. c. 9. num 64.*

28. Nonnunquam liberi, quamvis legitimè nati, animo & corpore perfecti, in feudo non succedunt, quando scilicet cum uxore, ex quâ procreati sunt, ad Morganaticam contractum est matrimonium, hac lege, ne filii ex eâ nati ad successionem admittantur *2. F. 29. & 2. F. 26. §.*

26. §. *filii nati.* ubi negativam lectionem ratio subjecta satis defendit, quam meritò etiam urgent ad illum locum Eguin, Baro, Cujac. Hotom. & alii. Pactum autem ipsum non iniquum aut illicitum esse statuimus cum Sonsbec. *p. 9. n. 50. & seqq.* Niell. *disp. feud. 5 th 7 lit. a.*

29. Anceps & nodosa est quæstio de liberis Exheredatis, utrum, si ex justâ causâ facta sit exheredatio à parente, eidem in feudo succedant? Quod contra non paucos contrarium tenentes de feudo non absolutè & merè hereditario affirmamus, quia nullâ patris ordinatione filius circa illud præjudicium creari possit *1. F. 8. pr.* utpote cùm Domini potiùs beneficio, quo illud in filios collatum voluit, *2. F. 13. §. ult.* quàm patris operæ aut curæ acceptum sit ferendum. Quò pertinet, quod illa, quæ ex jure singulari ad aliquem pertinent, etiam eidem exheredato sint relinquenda. *l 114. § 15. & seq. ff. de legat. 1. l. 6. ff. de collat. bonor.* Clarus *d. §. feudum. quæst. 74.* Schrad. *p. 7 c. 2 n. 36. & 39.* Rosenth. *c. 7. concl. 10. n. 8. & seqq.* idq; tam de novo quàm veteri feudo intelligendum. Vult. *d. c. 9. n. 96.*

30. Nihil autem refert, liberi legitimè nati & cætera feudi capaces, num ex eodem an diversis matrimonis; num vivo patre, an eo mortuo sint progeniti & concepti. Nec interest, num primi sint, an ulterioris gradus: quia descendentes omnes ad successionem feudi vocantur *1. F. 8. 2. F. 11. pr. 2. F. 50. pr.* hâc saltem observatâ distinctione, ut si primi gradus soli sint, æqualiter succedant & in capita; si concurrant cum iis nepotes, successio fiat in stirpes: quod & dicendum, si soli nepotes ad successionem veniant, nec ex jure communi, quod habetur *§. 6. Inst. de hered. quæ ab intest. l. 2. C. de suis & legit.* Novell *118. c. 1.* quicquam hic mutatum. Sonsbec. *p. 9. num. 58.* Schneid. *p 6. n. 41. & seq.*

31. Cæterùm in feudis Regalibus, aut aliis, in quibus jus primogenituræ locum habet, si ex filio primogenito præmortuo relictus sit nepos, isq; cum filio secundò genito seu patruo suo concurrat, uter in successione sit præferendus, anxiè semper quæsitum, nec solùm chartis & calamis, sed & telis atq; ensibus hæc quæstio sæpissimè & acerrimè est disceptata. Et quamvis sint, qui patrui jus potius esse existimant, quos longâ serie recenset Tiraquel. *de jur. primog. q. 40. n. 11. & seqq.* contra illos tamen Nepotis causam justiorem esse statuimus, utpote qui & in locum & jus patris sui succedit, *l. 7. ff. de collat. bon. l. 1. §. si filius ff. de suis & legit. junct. 1. F. 8 pr.* ejusque personam in omnibus illius qualitatibus repræsentat, ideoq; ut non melioris, ita nec deterioris conditionis esse debet. *arg. l. 177. l 120. ff. de R. J.* vid. præter feudalium scriptores plerosque Hotom. *illust. quæst. 3.* Pet. Gregor. Tholos. *lib. 7. de rep. c. 10.*

DISPUTATIO FEUDALIS SEPTIMA.

De

Successione potissimùm Collateralium, & Præscriptione feudi.

RESPONDENTE

JOHANNE à Marle / Monasteriensi Westph.

THESIS I.

SEcundus ordo illorum, qui de jure communi ab intestato succedunt, est ASCENDENTIUM, qui priori descendentium deficiente ad successionem præ cæteris meritò vocantur juxta *Novell. 118. c. 2.* non solùm ratione miserationis & in solatium summi mœroris, quem ex obitu liberorum sentiunt *l. 15. ff. de inoff. testam. l. 7. §. ult. ff. si tab. test.* sed & ob unitatem personarum inter Parentes & liberos *l. ult. C. de impub. & al. substit.* & merita longè maxima, quæ vel sola turbato mortalitatis ordine liberorum bona parentibus tribui, jure suo postulant. *arg. l. 9. ff. pro soc. l. 10. ff. de R. J. l. 10. C. de jur. dot.* Valent. Forster. *lib. 7. de succes. ab intest. c. 1.* Pet. Gregor. Tholos. *lib. 45. Syntag. cap. 10. num 2.*

2. Etsi igitur in feudis idem valere ac fieri debere videri possit, contrarium tamen velut pro Regulâ jure feudali traditum legimus, Successionis feudi naturam esse talem, quòd Ascendentes, puta pater aut avus, filio vel nepoti non succedant, per tex. *2. F. 50 pr.* Ratio scilicet Successionis feudalis ex conjecturatâ mente & communi hominum affectione, suæ posteritati consulentium desumitur *arg. l. 220. §. ult ff. de V. S.* quod acquisitor feudi sibi tantùm & posteris suis feudum acquisiviſse existimetur. Cujac. *ad lib. 1 Feud. tit. 1.* quam non parum ista juvat, quod successio feudalis, utpote primævæ feudorum naturæ contraria *1. F. 1. §. & quia vidimus*, strictam mereatur interpretationem. Sonsbec. *p. 9. n. 46.* Schrader. *part. 7. c. 6. n. 1.* Hartm. Pistor. *lib. 2. quæst. 19. n. 5.*

3. Et hoc non solùm de feudo Novo, sed etiam Antiquo est accipiendum. De illo quidem minor est dubitatio, juxta rationem modò allatam, quòd in primâ investiturâ inter Dominum & Vasallum hoc actum esse intelligatur, ut Feudum ad investitum ejusque posteros, non

etiam parentes pertineat, *l. F. 14. §. Capitanei, ibi: prædicti fratres. 2. F. 23. ibi: ut ad eum heredesq; suos masculos.* & aliàs feudum novum, mortuo sine liberis Vasallo, ad Dominum transeat, *2. F. 11. §. his verò deficientibus 2. F. 14. & 2. F. 49.*

4. De Antiquo tamen feudo non minùs id est excudiendum, tùm ob generalitatem regulæ *2. F. 50. pr.* quam ad omnem porrigendam esse speciem notissimi juris est, *l. 3. in fin.* ubi Dd. *ff. de off. præs. l. 23. ff. de servit. præd. urb.* tùm etiam, quòd feudi paterni hæc sit natura, ut à parentibus defunctis jure successionis ad filios fluat, *2. F. 11. vers. his verò deficientibus.* & sic fieri non possit, ut modo contrario à descendentibus ad ascendentes revolvatur. Zas. *de feud. part. 8. num. 2.* Valent. Forst. *lib 7. de succes. cap. 4. concl. 5. num. 33. & 39.* Nec maternum filii feudum à dictâ regulâ excipiendum esse arbitramur. Rosenth. *c. 7. concl. 14. num. 12. cum ibi alleg.*

5. Sunt tamen casus aliquot, quibus Successio Parentum in feudis admittenda. Sic enim citra dubium Parentes succedunt, si vel novâ investiturâ expresse sint comprehensi, *2. F. 84.* Schneid. *p. 6. c. 4. num. 6.* Schrader. *p. 7. c. 6. num. 3.* vel ob bene merita patris remunerationis ergo filius de feudo sit investitus. *arg. l. 6. ff. de collat. bonor. l. ult. in f. C. de Usufr.* Duaren. *in comment. de feud. cap. 11. num. 11.* vel si feudum novum jure antiqui feudi, in quo agnati succedere possunt, datum fuerit. *arg. l. ult. §. 2. ff. de grad. l. 2. §. 1. ff. de suis & legit. l. 12. eod.* Hartman. Pistor. *2. q. 13. num. 46.*

6. In veteri seu paterno successio hæc tum potissimùm locum habet, si Parens in favorem filii Domino feudum resutaverit hac conditione, ut confestim filius de eo investiretur *2. F. 14. in fin.* Sonsbec. *d. p. 9. n. 48.* Schrad. *d. c. 7. n. 4.* quam exceptionem in Cam. Imper. receptam esse testatur Mynsing. *3. obs. 93.* item si avus, consentiente filio, feudum in nepotem transtulerit, *arg. d. tex. 2. F. 2. F. 14.* Rosenth. *d. c. 7. concl. 14. num. 10.* Quò pertinet etiam, si vel communi consuetudine aut statuo loci hæc successio sit recepta *arg. 2. F. 1. pr.* Vult. *lib. 1. de feud. c. 9. num. 101.* vel feudum sit merè hereditarium *arg. 2 F. 48.* quod instar allodii omnis generis heredibus defertur. Rosenth *c. 2 concl. 35. n. 4.*

7. Quod autem de Ascendentibus à successione feudali exclusis dictum, id ad illos non spectat, qui sunt in lineâ collaterali, & pro collateralibus habendi *1. F. 8. & ibi Dd.* Id verò quæstionis est, utrum iis ca-

sibus,

sibus, quibus Parentes succedunt, cum illis unà & fratres defuncti admittantur, juxta dispositionem *d. Novell. 118. c. 2.* Quod affirmandum censemus cum Rosenthal. *cap. 7. concl. 14. num. 27.* Schrader. *p. 7. c. 6. num. 11.*

8. Sed pergamus ad Transversales, velut genuinos cum descendentibus feudorum successores. Circa quos illud ab initio monendum, quod inhabilitas illa, quæ descendentibus nativitatis, conditionis, sexus & animi corporisq; defectuum ratione obstat, quò minus succedant, etiam hisce sit impedimento. Deinde Transversariam successionem veram, nisi pacto investituræ convenerit, nullam esse, sed saltem directam eamq; descendentium. Quod satis apparet in feudo novo, in quo frater, aut alius quispiam agnatorum, regulariter non succedit. *2. F. 11. 12. 18.* In feudo veteri seu paterno succedunt saltem illi, qui sunt ex descendentibus seu posteris primi acquirentis, & ita ut liberi non ut agnati.

9. Quia tamen posteritas primi acquirentis in diversas lineas potest esse dispersa, ubi unius lineæ descendentes deficiunt, qui sunt in cæteris, habito respectu proximitatis ad Vasallum sine liberis ultimo defunctum, non ex directâ, sed collaterali lineâ ad successionem venire censentur. Hinc etiam quod de collateralium (Agnatorum putà, non cognatorum) successione dicitur, ad solum paternum feudum est restringendum *2. F. 11. §. hùc verò deficientibus. 2. F. 50. §. paternum* de Novo autem negandum *1. F. 8. §. filia. 1. F. 14. §. si duo fratres. 2. F. 12.* quamvis de eo communiter sint investiti *1. F. 1. §. cùm verò: 1. F. 14. vers. si duo fratres 2. F. 12. pr.*

10. Aliud verò statuendum, si pacto sic fuerit cautum, ut in feudum illud, quod aliquis de novo acquirit, fratres, sive alii ejus agnati succedant *1. F. 1. §. cùm verò. 1. F. 8. in fin. 1. F. 20. ibi: nisi per investituram. ordinatum fuerit 2. F. 12. & 18. vers. ult.* quale pactum tamen tacitè quasi initum minimè censetur, si fortè feudum de communibus bonis à fratre sit acquisitum *2. F. 12. vers. si duo fratres.* modò non cohabitent, & utriusq; nomine ac domino sciente de communibus bonis sit comparatum, quò pertinet textus *1. F. 20.* Sonsbec. *part. 9. num. 81.* Niell. *disp. feud. 6. th. 1. lit. b.*

11. An idem dicendum, si propriâ suâ pecuniâ alter cohabitantium fratrum utriusq; nomine, domino id sciente, feudum acquisierit? Quod omninò existimamus cum Sonsbec. *d. p. 9. num. 83.* Rosenth. *c. 7. concl. 39. num. 7.* Schneidew. *p. 6. de succes. collat. num. 3. per d. tex. 1. F. 20. ibi:*

vel nisi beneficium. Eidemq; successioni tunc quoq; locus est, si duo fratres communibus equis & armis in hostem pro domino pugnantes feudum aliquod promeruerint *d. 1. F. 20.*

12. Patitur porrò prædicta regula exceptionem hisce tribus casibus: 1. si feudum novum cuilibet fratrum datum sit in solidum *2. F. 18. §. ult. arg. l. 60. §. 2. ff. mand. l. 3. §. ult. l. 5. ff. de adsign. libert.* Zas. *epit. feud. p. 8. n. 27.* Schrad. *p. 7. c. 1. num. 16.* 2. si feudum novum jure feudi antiqui sit concessum, quod fieri posse suprà est traditum, eamque limitationem probant Mynsing. *4. obs. 84. & 6. obs. 6.* Gail. *2. obs. 50.* Fachin. *lib. 7. controv. cap. 58.* 3. Si statuto aut consuetudine sit receptum, ut fratres vel agnati in novum feudum succedant. *arg. 2. F. 1. in pr.* Schrader. *p. 7. c. 7. num. 5.*

13. Cæterum ubi pacto convenit, ut v. c. frater in novo fratris feudo succedat, illud mortuo fratre ad ejus filios non est extendendum, sed eo casu feudum ad dominum revertitur: contra propriam enim feudi naturam hujusmodi pactum est, & ideò strictè accipiendum. Jacobin. de S. Georg. *tr. feud. in verb. præsentes num. ult.* Schrad. *p. 7. c. 7. num. 3.*

14. Succedunt autem in feudo paterno Collaterales hoc ordine, ut primò vocentur Fratres Vasalli defuncti. Sed an ad exemplum successionis legitimæ, quæ jure civili obtinet, *Novel. 118. c. 3.* Germani seu utrinq; conjuncti junctis ab uno saltem latere, consanguineis puta, præferentur? Vera est interpretum sententia, prælationi hîc locum non dari, sed utrosque concurrere & admitti. Duar. *in comm. feud. cap. 11. num. 13.* Schneidewin. *d. p. 6. c. 5. num. 7. & 8.* Hartman. Pistor. *1. q. 33. num. 33. & 2. q. 43.* In feudo tamen fœmineo & absolutè hereditario frater utrinq; conjunctus consanguineum excludit. Sonsbec. *d. p. 9. num. 94.* Vult. *d. c. 9. num. 108. in fin.* Niell. *d. d. 6. th. 3. lit. a.*

15. Post fratres vocantur fratrum prædefunctorum filii, qui vel soli sunt, vel cum Patruis suis concurrunt. Si soli, jure proximitatis in capita succedunt *l. 2. §. hereditas. ff. de suis & legit. Novel. 118. c. 3.* quia tempore delatæ successionis, ex quo de jure ac modo succedendi judicandum *l. 59. ff. de condit. & demonstrat.* soli extant, & gradu pares sunt, ideoq; pariter admittuntur. Et hæc sententia, sublato penitus Dd. dissidio, novâ constitutione in recessu Imperii de *anno 1720.* est confirmata, eoq; modo in Cam. Imper. judicari testatur Mynsing. *3. O. 94. num. 2. & seq.* Rosenthal. *d. c. 7. concl. 56. num. 9. in fin.*

16. Si cum patruis suis concurrunt, admittuntur quidem, prout ju-

re

re feudali id est decisum *t. F. 14. §. 1. vers. si verò unus 1. F. 19. §. si quis miles. 2. F. 11. §. hîc verò*, sed quia naturâ impari sunt gradu, jure repræsentationis cum illis succedunt in stirpes, h. e. ita admittuntur, ut præmortuorum parentum portionem capiant per *Novel. 118. c. 3.* quod jus contrario feudorum jure nullibi reperitur immutatum, ideoq; est servandum. *2. F. 1.* Zas. *d. p. 8. n. 17.* Gudelin. *comment. de jur. feud. p. 3. c. 2. num. 10.*

17. Quod si Vasallus ultimò defunctus fratrum filios & cum illis patruum relinquat, illi, hoc excluso, soli sunt admittendi. In feudorum enim successione stirpium & fibratum ratio perpetuò habenda, ut non tàm personæ agnatorum, quæ succedunt, earumve propinquitas quàm quatenus ex eadem stirpe postremi possessoris sint, aut lineâ, vel minùs, considerari debeat. *2. F. 50. §. paternum.* Gudelin. *d p. 3. C. 2. n. 12.* Bocer. *ch. 5. disp. 18 th. 28.*

18. Deficientibus fratribus, fratrumq; filiis, ulteriores ordinis transversi agnati ad successionem, & omnes quidem in capita, admittuntur *2. F. 11. §. hîc verò*, habitâ tamen proximitatis ratione, ut proximiores ultimò defuncto, modò lineæ quoq; & fibrabrum gaudeant prærogativâ, remotioribus præferantur *2. F. 50. § paternum.*

19. Transversalium hæc successio olim quidem intra quartum consistebat gradum *2. F. 26. § si Vasallus culpam*; posteà ad septimum extensa *2. F. 1. §. hoc quoq;*. Tandem vero eandem in infinitum admitti placuit *2. F. 31. & 50. princ. vers. ex latere & 2. F. 52. § satis bene.* Quod & jure civili in legitimis hereditatibus obtinet, ut Agnati gradu non saltem decimo, quæ quorundam est sententia *per §. hoc quoq;. Inst. de succes. cognat.* sed longissimo, & longè ulteriori, ac in infinitum ad easdem admittantur *l. 2. § 1. in fin. ff. de suis & legit. Novell. 11. § c. 3. ibi; omnes deinceps* Et hæc Regula, ut in infinitum succedatur, locum quoque sibi vindicat in Regnis, teste Baldo *ad 1 F. 1.* cujus exemplum in Franciâ priori seculo extitit, ubi inter Henricum Borbonium, & Henricum III. ex familiâ Valesiorum ultimum, cui ille successit, generationes seu gradus unus & viginti numerantur.

20. Computatio graduum an secundùm juris Canonici, an verò civilis dispositionem fit instituenda, inter Autores controvertitur. Et quamvis quidem Hotoman. *disp. feud. 19.* & eum secutus Hartman. Pistor. *lib. 2. quæst. 19. num. 8. & seqq.* computationem canonicam servandam putent, cum aliis tamen *per text. 2. F. 37. & 1. F. 1. § hoc quoq; 2. F. 26. § si Vasallus culpam* civilem præferendam esse censemus. Vid. Duaren.

in comm. ad jus feud. c. 11. num. 14. Niell. *disp. feud. 5. th. 1.* Rosenthal. *cap. 7. concl. 57. num. 9.*

21. Ex edicto quidem Prætoris, deficientibus propinquis, conjuges in bona allodialia sibi mutuò succedunt, *t. t. ff. & C. unde vir & uxor.* in feudis verò illud non obtinet, ne tum quidem, cùm maritus & uxor de feudo etiam novo insimul sunt investiti, sed si unus ante alterum sine herede moriatur, alterius pars domino acquiritur *2. F. 85. Facit tex. & F. 104.* Hatty*l. in anal. jur. feud. c. 7. p. 66.* Quod si etiam uxor feudum marito in dotem dederit, soluto matrimonio, ista investitura exspirat. *1. F. 15.* & ibi Feudistæ Schrad. *p. 7. c. 7. num. 14.* Schneidew. *in epit. feud. p. 6. c. 6. num. 1.*

22. Antequam à materiâ successionis feudalis discedamus, lubet hic indagare, utrum successor feudi, repudiatâ defuncti Vasalli hereditate, feudum retinere possit? Circa quod distinguendum est primò inter feudum ex pacto & providentiâ & feudum hereditarium; & deinde inter Filium & Agnatum. In feudo hereditario succedens uterq; velut heres reputandus, qui universitatem bonorum à defuncto relictorum agnoscere tenetur, nec feudum ab allodiis separare, aut pro parte heres esse potest. *l. 1. & 2. ff. de acquir. hered.* si verò feudum est ex pacto & providentiâ, filii conditio durior est, quàm agnati: quippe huic, retento feudo, hereditatem repudiare licet, ille utrumq; vel retinere vel repudiare cogitur *per expres. texx. 2. F 45. & 51. §. filius*, Rationem differentiæ vide apud Sonsbec. *part. 9. num. 161.* quam probat. Bocer. *d. d. 18 th. 35.*

23. Unde non difficulter colligi potest, quid judicandum sit de illâ quæstione, An feudi successor æs alienum à defuncto Vasallo contractum exsolvere teneatur? Quibus enim casibus successio non patitur separationem hereditatis seu bonorum allodialium ad ipso feudo, iisdem quoq; succedens æri alieno solvendo est obstrictus; filius scilicet indistinctè: Agnatus autem non aliter, quàm si sit feudum hereditarium. Schrad. *p. 7. c. 7. n. 33.* Gail. *2. Obs. 154.* Mynsing. *5. O. 67.* Si quid tamen fructuũ ex feudo à defuncto sit relictũ, illos & hic in exsolutionem debitorũ impendere debet. *2. F. 45. pr. vers. sed in fructibus.* Moribus quarundam Provinciarum, uti constat de Megapoli, ex feudis, ad quemcunq; successorem fuerint delata, Creditoribus in subsidium bonorum allodialium deficientium satisfieri debet. Cothman. *vol. 2 consil. 75. n. 34.*

24. An autem filius succedens & ad æs alienum solvendum obstrictus per confectionem inventarii de bonis allodialibus sibi consulere possit,

ne-

ne ultra vires hereditatis paternis creditoribus respondere cogatur, d u-
bia admodùm & spinosa est quæstio, aliis affirmativam, aliis verò negativam tuentibus, prout videre licet apud Rosenthal. *c. 7. concl. 20.* Nos exceptis locis, in quibus feuda æri alieno sunt obstricta, in puncto juris Affirmativam veriorem statuimus, præsertim de feudo ex pacto & providentiâ, non item de feudo hereditario. *arg. l. fin. C. de jur. delib.* Lindeman. *exerc. feudal. 2. c. 5. th 9.*

25. Denique non omittenda videtur & illa quæstio; An etiam in feudis seu inter Vasallos jus accrescendi locum habeat? Distingvimus inter feudum Novum & paternum. In hoc, quod successionis jure ad plures pertinet, portionem alicujus sine masculâ prole deficientis cæteris accrescere non est dubitandum, sive ex testamento, iis casibus quibus licet de feudo testari, sive ab intestato succedatur. Utroque enim casu jus accrescendi de jure civili locum habet *l. un. §. his ita. C. de caduc toll. l. 53 §. 1. ff. de acquir. hered l 9. ff. de suis & legit. l. 3. §. ult. ff. de bon. possess. §. ult. Inst. de SC. Orfit.* Duaren. *lib. 1. de jur. accres* Donel. *lib. 7. comment. cap. 12. in pr.* quod cùm jure feudorum non sit mutatum, etiam inter Vasallos erit servandum. *arg. 2. F. 1. §. 2.*

26. De feudo novo, quod duobus conjunctim datum, aliud & contrarium dicendum, quod scilicet deficientis sine liberis portio alteri non adcrescat, sed ad dominum revertatur *1. F 1. § cum verò Conradus. vers. quod si communiter 1. F. 14. §. si duo fratres 1. F. 12. princ.* nisi pactum succedendi Investituræ expressis verbis adjectum, vel nisi ita sit concessum, ut singuli id haberent in solidum, aut alio quodam modo sit acquisitum, quo successio fratrum aut agnatorum in feudo novo locum habere potest, secundùm illa, quæ superiùs eâ de re dicta.

27. Tradunt quidem non pauci, si feudum ab Imperatore vel Rege duobus sit concessum, tunc alterutri deficienti alterum succedere, & jure accrescendi illius portionem ad hunc devolvi. Clarus *in §. feudum q. 77.* Rosenth. *cap. 6 concl. 74.* ubi plures allegati idem statuentes *per l. un. C. si liberal. imper. soc sui hered. decess.* contrariam tamen sententiam non solùm magis communem, teste Suarez *in thes. recept. sentent. lit. F. verb feudum n. 19* & Ripa *in l. re conjuncti 89. de legat. 3. n. 157 & seq.* sed etiam veriorem & juri feudali magis consentaneam censemus per textus *1. F. 1. §. cum verò Conradus. 1. F. 14. §. si duo fratres* eamq; præter jam allegatos & multo plures probant Jason *in l 1 o n 7. ff. de V O.* Salic *in l. un. C. quand. non petent part.* Zas. *de feud. p. 8. n. 3.* Fachin. *7 contr. 63.* Vult. *lib 1. de feud. q. 9. num. 119.*

28 Hæc

28. Hæc de Successione: nunc ad Præscriptionem feudi progredimur, quâ non minùs, quàm per investituram aut successionem feudum acquiritur, si bonâ fide spatio triginta annorum continuo res in usum feudi, seu tanquam feudalis, fuerit possessa. *2.F. 26. §. si quis per 30.* Ut enim procedat hæc præscriptio, bonam (uti aliàs) oportet esse fidem *1.F. 87.* quæ licet de jure civili ad præscriptionem longissimi temporis, qualis hæc est, non desideretur *l. 1. 8. §. 1. C. de Præscript. 30. vel 40. ann.* jure tamen Canonum (quod in materiâ præscriptionis observatur. Gail. *2. obs. 8. num. 10.* Mynsing. *4 obs. 6.*) nulla præscriptio sine bonâ fide eâq; continuâ procedit, *c. pen. in fin. & c. fin. extr. de præscript.* Zas. *p. 8. n. 31.* Rosenth. *c. 6. concl. 77. num. 9. & in not. lit. h.*

29. Alterum præscriptionis hujus requisitum est legitimum tempus triginta scilicet annorum *d. §. si quis 2. F. 26.* Quod singulare est in feudis, cum aliàs jure civili immobilia & servitutes spatio 10. vel 20. annorum usucapiantur, *l. fin. C. de præscript. long. temp.* & hoc tempus in jure feudali aliquando vocatur longum *2. F. 87.* Nullâ verò ratione hujus temporis in hac materiâ inter prædia Ecclesiastica & secularia (quæ aliàs 40 demum annis usucapiuntur, *Novell. 111. & 131. c. 6.*) facienda est distinctio, prout ostendunt Baro à Tautenberg. *in d. tex. 2.F. 26. §. si quis.* Vult. *d. c. 9. n. 8.* Bocer. *ct. 5. disp. 17. th. 15.*

30. Requiritur porrò ad hanc præscriptionem, ut possessio sit continuata, & quidem animo rē feudi jure habendi. Titulum autem insuper desiderari non putamus; *arg. l. 2. l. 8. §. 1. ubi glos. C. de præscript. 30. vel 40. annorum* cui sententiæ nec jus canonicum refragatur.

31. Vasallus semel factus ipsam feudi proprietatem contra dominum, servitia fortè intra 30. annos illi non exhibendo, minimè præscribit Vult. *lib. 1. cap. 9. n. 18.* Quod si etiam fortè absq; consensu domini & agnatorum feudum alienavit, is, qui accepit illud, non, nisi possessione temporis immemorialis, præscribere potest Clarus *in §. feudum. quæst. 45. num. 2. & 3.* Duaren. *de feud. c. 16. nu. 6. in f.*

32. Non leviter illud hîc quæritur; an dominus, si fortè per 30 annos prædium feudale possederit, ejus libertatem præscribere possit? Quod rectè affirmatur, cùm certum sit, jura hujusmodi quanto tempore acquiruntur, tanto etiam non utendo amitti. *l. 6. 7. 8. 10. §. 1 ff. quem ad servit. amit. l. 29. ff. quib. mod. Usufr. amit.* Sed hanc præscriptionem, velut aliquam alienationis speciem, *l. 28. ff. de V. S.* Agnatis minimè nocere, ex æquiori & receptiori sententiâ statuendum Rosenth. *c. 6. concl. 83. n. 4.*

DISPUTATIO FEUDALIS OCTAVA

De

Jure, quod ratione Feudi Domino & Vasallo competit.

RESPONDENTE

ERICO TILEMANNO Becker/
Stoltzenovia Westphalo.

THESIS I.

FEudi constituti Effectus est Jus, quod ejus nomine, tàm Vasallo, quàm Domino competit. Et primò quidem rei feudalis in Vasallum translatæ, dominium, quod vocant directum, seu Proprietas Domino remanet salva, quam regulariter in concessione sibi reservasse censetur *2. F. 8. §. ult. 2. F. 23. in fin.* Competit porrò eidem Jurisdictio in Vasallum *2. F. 55. §. præterea si inter duos. c. ex transmissâ. extr. de for. compet. & c. cæterum ext. de judic.* quæ non delegata est, sed ordinaria *dd. texx. junct. l. 6. & ibi Dd. ff. de jurisd. & l. 32. §. 1. ff. de LL.* nec delegabilis, licet per vicarios exerceri queat.

2. Præter hæc, præstationes ipsi quædam Personales à Vasallo debentur, non solùm de quibus in Investiturâ dictum, sed etiam omnes, quæ tacitè juramento fidelitatis insunt, ac præter ea, quæ fidelitas continet 2. F. 6. specialiter Obsequium ac reverentiam, & servitia concernunt. Ad Reverentiam Vasallum meritò obligat collatum beneficium *arg. l. 25. §. 11. ff. de petit. hered.* de quâ videantur *texx. 2. F. 22. vers. curia autem & 2. F. 23. vers. quomodo enim*, ex quibus & aliis patet, Vasallum, ita se gerere debere, uti erga illos faciendum est, quorum Persona sancta & honesta videri debet *l. 9. ff. de obseq. parent. & patron. præstand.* Schrad. *part. 6. c. 6. num. 101. & p. 10. sect. 5. num. 127.* Schneidew. *p. 5. num. 115. & seqq.*

3. Non igitur famosam adversus dominum, actionem aut accusationem movere, *2. F. 24. §. item si delator. 2. F. 33. §. similiter.* nec in causâ criminali aut civili modicâ testimonium adversus eum dicere potest *d. tex. 2. F. 33. §. similiter. & §. seq.* In civili verò non modicâ seu

magnâ testari contra dominum impunè ipsi licet: nullâ tamen in causâ, nisi ea sit feudalis, invitus ad dicendum contra dominum testimonium per judicem cogi potest *arg. l. 4. vers. ult. ff. de testib. l. 12. C. eod.* An autem citra læsionem reverentiæ dominum in jus vocare possit, non nihil ambigitur. Nos negativam juri magis consentaneam arbitramur. *arg. l. 14. ff. de in jus voc. & l. 2. d. t.* Guido Papæ *decis. 551. num. 2.* Zas. *epit. feud. p. 7. num. 47.* Oldendorp. *cl. 1. act. 4.*

4. Eâdem ex fidelitate profluens reverentia & obsequium requirunt, ut Vasallus, casu eveniente, renovationem investituræ justo tempore à Domino petat *2. F. 40. 2. F. 24. prin. 1. F. 22.* laudemium ex pacto aut consuetudine præstet. Rosenth. *c. 6. concl. 66.* res feudales earumq; confinia illi demonstret Glos. *in §. ult. verb. nisi requisitus. 2. F. 55.* Rosenth. *tract. feudal. c. 8. concl. 32. num. 4.* instrumentum investituræ & sic titulum possessionis suæ edat. Clos. *in c. imperialem §. illud quoq; 2. F. 55.* Hartman. Pistor. *p. 2. q. 46.* Vult. *lib. 2. t. 3.* dominum ab hostibus captum (non etiam justè carceratum) redimat. *2. F. 24. §. item si delator.* Clar. *§. feudum. quæst. 24. num. 2.* & egenum ad exemplum liberti & donatarii incolumitatis conservandæ causâ alat. *2. F. 6.* Schrad. *p. 9. cap. 8. num. 12. & seq.* Bocer. *cl. 5. disp. 16. cl. 4. th. 35.*

5. Æs autem alienum à Domino contractum Vasallus exsolvere minimè tenetur *2. F. 26. §. licet Vasallus* Koppen *quæst. 60. num. 9.* Coler. *de proces. execut. p. 2. c. 3. num. 342.* sicut nec collectarum impositione gravari potest Heig. *p. 1. q. 18. num. 17.* nisi extremâ urgente necessitate, aut consuetudine, conventione, vel præscriptione aliud obtinuerit. Heig. *d. q. 18. num. 13.* Clar. *§. feudum q. 29. in fin.* & nisi sit insimul subditus, quem collectare justis de causis licet. Rosenth. *c. 5. concl. 78.*

6. Potissima verò præstatio, quæ domino debetur, est Servitiorum, quæ Vasallitica & militaria dicuntur (Lehen oder Ritterdienste) *2. F. 23. in f. 2. F. 55. §. firmiter.* regulariter enim Vasallus ad operam militarem Domino obstringitur *1. F. 1. §. notandum est autem. 1. F. 5. pr. 2. F. 12.* nonnunquam tamen & ad alia servitia tenetur, prout in feudis Guardiæ, Gastaldiæ, & aliis apparet.

7. Dividuntur servitia in determinata & indeterminata. Illa certa sunt & definita, extra quæ ad alia non tenetur. *arg. l. ult. C. de pact. convent. l. 21. in f. C. de procurat.* Hæc incerta, ubi vel generaliter, vel nulla servitiorum in investiturâ facta est mentio, & utroq; casu ex naturâ feudi Vasallus ad ea, quæ alii ejusdem conditionis præstare solent, modera-

te-

ta scilicet & honesta, obligatur, Schrad. *p. 6. c. 6. n. 4.* Rosenth. *c. 8. concl. 22.*

8. Servire tenetur Vasallus quivis, etiam fœmina, prælatus Ecclesiæ seu clericus, idq; licet heredi Domini juramentum fidelitatis fortè nondum præstiterit, quia sufficit feudum illum habere, quo posito, ad præstationem eorum, quæ in formâ fidelitatis continentur, continuò obligatur. *2. F. 6 & 7.* Schrad. *p. 10. sect. 3. num. 70.*

9. Heredes plures defuncti alicujus Vasalli omnes servitia præstare coguntur, ad quæ defunctus erat obligatus. Hi tamen si feudum simul possideant, ex sese unum eligere possunt, qui nomine omnium serviat, quem Dominus, nisi justam recusandi causam habeat, acceptare tenetur, qui Germanicè vocatur Lehenträger *arg. l. 72. pr. & §. sed quod. ff. de solut.* Schneidew. *p. 5. n. 14.* Schrad. *p. 6. c. 6. num. 23.* Ipsis autem inter se dissidentibus, in electione domini erit, à quo servitia exigere velit. *arg. l. 3. §. ubi duo. ff. de duob. reis. l. 18. ff. de testam. tutel.*

10. Qui ad præstanda servitia est idoneus, vel ipse in propriâ personâ, vel per substitutum *2. F. 26. §. si quis decesserit 2. F. 55. §. firmiter* æquè tameu commodum & idoneum (etiam magno periculo Domino imminente) pro suo lubitu servire potest. Schrad. *p. 6. c. 6. num. 45.* nisi in investiturâ nominatim dictum sit, ut in propriâ personâ servitium præstet, vel officium feudo adhærens ejus præsentiam exposcat. Rosenth. *de feud. c. 8. concluf. 23.* Utrùm verò substitutus missus idoneus sit, boni viri arbitrio definiendum relinquitur. Schrad. *d. p. 6. c. 6. n. 45.* Rosenth. *d. c. 8. concl. 24. num 5.*

11. Serviendum porrò est Domino immediato *2. F. 54. in fin. 2 F. 55. §. illud quoq; præcipimus* quia ille proprius dominus est ipsius Vasalli *d. §. illud quoq; 2. F. 55.* Jacob. de S. Georg. *d. tract. verb. & promiserunt n. 12.* Hartm. Pistor. *part. 2. q. 45. n. 8.* & si plures sint domini ratione diversorum feudorum, omnibus. Schrad. *d. c. 6 n. 19.* Jacobin. *d. l. n. 11.* Sin unum feudum, & plures domini heredes aut successores, tunc uni, quem ipsi, vel, ipsis dissidentibus, Vasallus, habitâ ratione ætatis & dignitatis, elegerit, servitia sunt præstanda. Clar. *§. feudum. q. 49. n. 11.* Schneidew. *p. 5. n. 17.* Hartm. Pistor. *d. p. 2. q. 47. num 27.*

12. Pluribus successoribus inter se de feudo dissidentibus, ac bellagerentibus, vel penitus quiescat Vasallus, quod tutius est, Hartm. Pistor. *d. q. 47. n. 30.* Zas. *p. 7. n. 12.* vel, si quis illorum in possessione est, possessorem juvet. Pluribus autem diversorum feudorum dominis inter se

belligerantibus, antiquiorem præferat. Hartman. Pistor. *d. q. 47. n. 35.* contra alios autem pugnantibus utrisque, & antiquiori quidem, si velit, in personâ propriâ, alteri verò per substitutum operam militarem præstabit. Jacob. *d. verb. & promiserunt. num. 11.*

13. Tenetur autem Vasallus servitium militare domino præstare contra omnes, non tamen contra Imperatorem aut Regem superiorem non recognoscentem, cui & Dominus est subjectus, vel à quo feudum prius manavit, *2. F. 7. pr. & 2. F. 28. §. ult. 2. F. 55. in fin.* nec contra dominum antiquiorem. *d. 2. F. 28.* aut seipsum *arg. can. de occidendis 23. q. 5. l. 29. §. fin. de pignor. & hypoth.* Sicut enim primam fidelitatem primo domino, ita primam charitatem sibi ipsi Vasallus quisq; debet. *arg. l. 6. ubi glos. C. de servitut. & aq.* Hinc etiam, ubi præsentissimum adest periculum, vitam suam vitæ domini præferre illum posse nonnulli tradunt Zas. *p. 7. num. 37.* Sonsbec. *p. 16. n. 12.* quod tamen ita, si operâ suâ ipsum nihil effecturum esse constet, intelligendum existimo.

14. An adversus patrem suum, filium, ac fratrem Vasallus Domino servitium militare præstare debeat, in utramq; partem valdè disceptatur. In qua controversiâ, cum expressus adsit textus *2. F. 28. in fin.* qui nec illas personas excipi velit, affirmantium (quorum ingens numerus allegatus à Rosenthal. *c. 8. concl. 14. num. 7. in not.* adde & Schrader. *p. 6. c. 5. num. 1.*) partibus accedimus. Et hanc sententiam eò magis probamus, quod Vasallus non nisi in causa justâ dominum juvare teneatur. *2. F. 18. pr.* & per substitutum operam debitam præstare *2. F. 26. §. si quis decesserit.* vel dimidium reditum unius anni de feudo solvendo *2. f. 55. §. firmiter* vel denique ipsum feudum refutando ab illa militandi necessitate se liberare possit.

15. Non autem, nisi requisitus, ad serviendum sese sistere tenetur *2. F. 26. §. licet 2. F. 28. §. ad hoc. 2. F. 37. in fin.* nisi status dies certumve tempus sit præfixum, quo serviat, quod regulariter pro homine impellat. *l. 12. C. de contrah. & commit. stipul.* Quod si etiam scit, dominum in periculo aliquo constitutum esse, vel insidias ei strui, ac discrimen imminere intelligit, non admonitus accurrere & futurum malum avertere, præsens depellere debet. *2. F. 24 & 39. 2. F. 26. §. licet.*

16. Quæritur autem, an propriis suis sumptibus Vasallus domino militare cogatur? Quod omnino dicendum, quia feudum ad hoc ei datur, ut Domino servitia præstet *2. F. 23. §. ult. 2. F. 55. §. firmiter* modò proventus feudi ittiusmodi sumptus ferant Clar. *§. feudum. q. 21.* nec aliud

aliud pacto investituræ cautum, aut moribus locorum inductum sit. Vult. *de feud. lib. 1. c. 10. num. 34.* Rosenth. *cap. 8. concl. 24. in addit. lit. d.* Gudelin. *in comment. de feud. pag. 4. c. 6. num. 14.*

17. Etsi quidem Vasallus ad serviendum vocatus sine morâ promptè adesse debet, non raro tamen, quòd vel non potuerit, vel à servitio liber sit, excusatur. Non potuisse censetur, vel ob ætatem, si impubes sit *2. F. 16. § si quis decesserit.* aut 70. aunis major, *arg. l. 3. ff. de jur. immun. §. 13. Inst. de excus. tut.* vel corporis infirmitatem, ita ut suis rebus superesse nequeat *l. pen. de vac. & excus. mun.* vel quod jure abstinere debeat, ut si Dominus injustam habeat causam *2. F. 28. princ.* vel hæredicus, *l. 1. l. 4. & auth. credentes C. de hæret. l. nemo militet. C. de Episc. aud.* bannitus Gail. *2. de P. P. cap. 15.* excommunicatus *c. excommunicatos & seq. 11. q. 3. c. nos sanctorum 15. q. 6.* aut aliâ gravi infamiâ notatus sit *1. F. 22. pr. arg. l. 2. C. de dignit.*

18. Liber à servitio est, qui feudum tenet Francum Zas. *p. ult. n. 36.* Schrad. *p. 2. c. 2. num. 33.* cui dominus speciali gratiâ servitia expressè vel tacitè remisit. Rosenth. *c. 8. concl. 8.* qui præscriptione tutus est, ita ut interpellatus 30. annorum spatio servitia non præstiterit Koppen *q. 13. n. 6.* Gail. *2. obs. 60. n. 4. & seq.* qui dimidio reditus annui feudalis servitium redemit. *2. F. 55. §. firmiter.* Bocer. *cl. 5. d. 19. th. 15.* & denique qui feudum non amplius tenet, de quo vide Rosenth. *c. 8. concl. 5.*

19. Quæstio hic sese offert minimè inutilis, si Dominus feudum francum seu à servitiis liberum sibi apertum alii denuò concesserit, nulla factâ servitiorum mentione, an cum pristina conditione censeatur concessum, an verò præstanda ex eo sint servitia? Posterius Affirmamus, quia quodvis feudum eo animo constitutum, & à domino concessum intelligitur, ut ex eo præstentur à Vasallo servitia *2. F. 23. in fin.* ideoque nec hoc casu remissa videri possunt, licet feudum anteà fuerit liberum. Schneidew. *part. 5. n. 91.* Rosenth. *c. 8. concl. 4. n. 8.*

20. Hactenus de jure Domini; sequitur nunc jus Vasalli, quod ipsi ex feudo dato resultat, partim circa personam domini, partim circa rem ipsam. Et Dominum quidem Vasallus vicissim obligatum sibi habet, non solùm ad evictionem, si res aliena in feudum data sit, præstandam *2. F. 8. pr. 2. F. 25.* sed etiam ad fidelitatem *2. F. 6. 2. F. 52. §. ult.* adeò ut si circa capita *d. 2. F. 6.* proposita perfidum sese ostenderit, feloniam committere dicatur, & feudi jure ac proprietate suâ privetur *2. F. 26. §. domino 2. F. 47.* Non potest etiam ab eodem accusari *2. F. 33. §. pen. ubi*

gloß. in verb. accuſare injuriâ affici *2. F. 26. §. domino*, vel feudo ſine cauſâ privari *2. F. 9. in fin. & 2. F. 34. §. ex eadem*. In his tamen, quæ ad reverentiam ſpectant, non pariter Dominus Vaſallo eſt obligatus, uti nec ad operam militarem ex cauſâ dati feudi à Vaſallo obeundam.

21. Circa rem quod conſiſtit, eſt Poſſeſſio rei feudalis *2. F. 8. §. fin. 2. F. 2. §. ſi verò 2. F. 22. pr.* quam veram quidem, non tamen civilem, ſed naturalem penes Vaſallum eſſe probabilius eſt. *d. 2. F. 22. & 2. F. 8. in fin.* Cum poſſeſſione hac conjnnctum eſt jus utendi fruendi *2. F. 8. §. rei autem* quod quaſi poſſidet civiliter, ſuo ſcil. jure, animo & opinione domini *arg. 2. f. 23. §. ult. verſ. uſusfructus verò*. cujus vigore tanquam dominus rem feudalem à quovis detentore vel poſſidente *d. §. rei autem 2. F. 8. 2. F. 26. §. & Vaſallus* etiam ab ipſo domino *per. d. §. rei autem ibi: à quolibet poſſidente arg. l. 1. §. 1. ff. ſi ager vectig. vel emphyt. petat.* vendicare poteſt.

22. Poſſeſſionem illam & utile Dominium, ſequuntur omnes fundi feudalis fructus tàm naturales, quàm induſtriales *2. F. 28. §. his Conſequenter* item metalla & mineralia in fundo feudali reperta, non autem theſaurus inventus, niſi pro parte dimidiâ, ſicut ſuprà dictum. Pertinent item ad Vaſallum acceſſiones prædii feudalis, & incrementa tam naturalia, ſi feudale prædium non ſit limitatem *l. 16. pr. ff. de acquir. rer. dom.* nec dominus in conceſſione ejus aliquid ſibi reſervaverit. *2. F. 4. §. ſi quis de manſo & §. fin.* quàm induſtrialia, circa quæ tamen diſtinguendum juxta *tex. 2. F. 8. §. è contrario 2. F. 28. §. ſi Vaſallus*. Ratione iſtiusmodi incrementorum Vaſallus nec novâ inveſtiturâ opus habet, nec majora domino ſervitia præſtare tenetur. Schrader. *p. 5. c. 6. n. 26. arg. l. fin. C. de alluvion.*

23. Præterea Vaſallo poteſtas data eſt feudum refutandi, item alium etiam invito domino, ſubinfeudandi. Refutare nihil aliud hîc eſt, quàm renunciare aut alii cedere. Die Lehen auffſagen/ auffkündigen. Hæc fit vel domino ſeu in manus, ut loquuntur, domini, vel ſucceſſoribus ſive deſcendentibus ſive agnatis: illam propriam, hanc impropriam vocat Vult. *lib. 1. c. 10. num. 75.* ſed textu & ratione deſtituitur. Licere autem Vaſallo feudum pro lubitu vel domino vel alicui agnatorum, ſi eſt paternum, cedere vel refutare, etiam invito domino, ſatis eſt manifeſtum. *arg. l. 29. C. de pact. l. 69. ff. de R. I. l. 66. de jur. dot. §. pen. Juſt. de uſufr. & per texx. 2. F. 14. 2. F. 38. in f. 2. F. 44. in fin.* nec refert illud conditionatum, ſeu ad certa ſervitia reſtrictum eſſe Mynſing. *cent. 5. obſ. 65.*

24. Si

14. Si Feudum antiquum Domino refutatum sit à Vasallo, id agnatis non præjudicat, quia jus à primò adquirente quæsitum, illis eo modo interverti non debet 1. F. 1. 2. F. 39. ideoq; mortuo refutatore, ad feudum admittuntur. Si agnato cuidam sit refutatum, & quidem remotiori, interest, utrum interveniente pretio, an gratis. Priori casu, etiam vivo refutante, intra annum refuso æquali pretio proximiori id revocare licet. 2. F. 3. §. *sed etiam res.* 2. F. 36. §. *Titius filios*, posteriori, non nisi eo mortuo 2. F. 26. §. *Titius. vers. Sempronius proximior* 1. F. 8. §. *hoc quoque observatur.* Cæterùm feudo proximis agnatis refutato, quamvis à servitiis liber sit Vasallus, dominum tamen suum offendere non potest. 2. F. 38. *in fin.*

25. Eodem modo Vasallo permissum est feudum, etiam Ecclesiasticum, vel partem ejus alii sine consensu domini in feudum concedere, quod vocant Subfeudum ein Afterlehen 2. F. 3. §. *sed etiam rei* 2. F. 9. *pr.* 2. F. 26. § *beneficium.* 2. F. 34. § *similiter.* quamvis in investiturâ cautum sit, ne Vasallus alienet feudum. Vultei. *lib.* 1. *c.* 19. *n.* 86. quod & subvasallo & deinceps ulterioribus licet 2. F. 10. & 34. §. *similiter* 1. F. 1. §. *notandum.* 1. F. 7. modo sincerè fiat ac sine fraude 2. F. 9. *pr. vers. si verò* 1. F. 26. §. *beneficium.* & iisdem conditionibus, legibus & pactis, quibus Vasallus subinfeudans ipse feudum habet. 2. F. 34. §. *profectò ille:* Ut autem subvasallus paris dignitatis, nobilitatis vel autoritatis cum Vasallo sit, necesse non est, modò ad servitia sit idoneus 2. F. 26. §. *beneficium* Zas. *p.* 9. *n.* 16. Rosenthal. *de feud. c.* 9. *concl.* 44. *n.* 5.

27. Effectus subinfeudationis est, quod accipiens subfeudum Vasallus fiat subinfeudantis 2. F. 55. §. *illud quoq;* non item domini superioris mediati, utpote cum quo contractus non est celebratus: ab hujus tamen æquè ac domini sui immediati offensione abstinere debet, cùm negari non possit, dominium directum illius quoq; subfeudi ad ipsum pertinere. Sic etiam juramentum fidelitatis ac servitia ratione subfeudi domino immediato sunt præstanda. Menoch. 3. *præsumpt.* 102. *n.* 9. Hartman. Pistor. *p.* 2. *q.* 45. *in fin. per. tex.* 2. F. 9. §. *si autem in fin.* nisi mediatus Princeps sit territorii, aut ordinariam in immediatum jurisdictionem habeat. Schrad. *d. c.* 6. *num.* 60.

28. Examinanda hic venit illa quæstio, Utrùm & quatenus, resoluto jure Vasalli subfeudum concedentis, jus quoq; subvasalli, quod ab illo dependet, exstinguatur? Et sanè, quamdiu supersunt liberi subinfeu-

infeudantis, qui unà cum feudo hereditatem agnoscere 2. F. 45. & factum illius præstare tenentur, subinfeudatio etiam post obitum ejus subsistit, per *tex. 2. F. 9. vers. si autem, ibi: si tamen sine herede masculo descendente decedebat*, cui suffragatur. *tex 1. F. 5. §. rursus, ibi: & sine herede decesserit* Agnatis autem subinfeudatio illa minimè præjudicat, quò minus subfeudum, velut resoluto jure concedentis avocare possint. *l. F. 17. §. rursus 2. F. 73* Hartman. Pistor. *lib. 2. q. 44. num. 6.* Rosenth. *cap. 9. concl. 48.* licet longissimo tempore à subvasallo fuerit possessum.

29. Subsistit tamen post obitum subinfeudantis contra agnatos Subinfeudatio, si feudum sit hereditarium, vel subinfeudatio facta sit de rebus infeudari solitis, Hartm. Pistor. *d. q. 44. n. 6.* vel deniq; si agnati fiant ejus heredes, qui subfeudum concessit. Heres enim rem à defuncto alienatam revocans exceptione doli mali repelli potest. *l. 14. C. de R. V. ubi gloss. & Dd. l. 3. l. 5. C. de reb. alien. non alien.*

30. Liberis & agnatis deficientibus, ubi feudum totum domino aperitur, etiam subfeudum ad eundem redit. Sed huic sententiæ non exiguam difficultatem parit *tex. 2. F. 9. pr. vers. si autem in fin.* ubi traditur, si subvasallus Domino superiori servire velit, illum feudum retinere posse. Hartman. Pistor. *d. q. 44. n. 10. & seqq.* illum locum accipiendum esse putat, vel de domino subvasallum recognoscente, vel de casu, quo Vasallus culpâ suâ feudum amisit, quem sequitur etiam Lindeman. *exer. feud. 3. cap. 8. th. 29.* Sed neutrum placet satiusque videtur admittere intellectum glossæ d. versic. ad veterem consuetudinem, quæ ante prohibitam à Lothario & Friderico Imperatoribus alienationem fuit, restringentis, quem probat Niell. *diss. feud. 7. th. 8.*

31. Deniq; & illud notandum, si subvasallus culpam aliquam, quâ feudum amitti & ad Dominum devolvi solet, commiserit, subfeudum illud non Domino superiori, sed immediato, qui subinfeudavit, aperiri per *tex. 2. F. 55. §. illud quoq; ubi* Schenck. *num. 1.* & cæteri, nec refert, delictum illud contra superiorem seu mediatum dominum commissum fuisse, quia, quamvis offensus iste feudum non consequatur, satis tamen pro injuriâ habet vindictæ, quod subvasallus feudo privetur, illudq; domino immediato applicetur Sonsbec. *de feud. part. 13. nnm. 41.* Idem etiam dicendum, si subfeudum citra consensum domini fuerit alienatum, illud non domino mediato, sed immediato itidem aperiri. Sonsbec. *d. part. 13. num. 91.* Rosenth. *cap. 9. concl. 64.*

DISPUTATIO FEUDALIS NONA.

De

Feudi Alienatione, ejusq; licitè alienati revocatione

RESPONDENTE

HEINRICO RUDOLPHO Rodeker/
Osnabrugâ Westphalo.

THESIS I.

QUantum juris Vasallus in feudo consequatur, priori discursu expositum: quod licet amplum satis sit & dominio proximum, liberam tamen alienandi potestatem non comprehendit; imò verò Alienationem feudi sine consensu Domini illicitam & prohibitam esse pro regulâ tenendum *l. F. 5. inf. l. F. 21. § si quis miles. l. F. 13. §. ult. 2. F. 9. pr. 24. §. ult. 26. §. feudum eâ lege datum. 38 41. 52. §. si quis verò & 55. §. callidis itaq.* cujus hæc perhibetur ratio, ne Vasalli feudis aut facultatibus suis exuti ad servitia obeunda minùs fiant idonei *2. F. 52 pr. vers. per multas. 2. F. 55. pr. vers. 1.*

2. Alienationis autem verbum latissimè accipitur, & quemlibet actum, quo vel dominium, vel jus aliquod in re feudali dominio affine in aliquem transfertur, significat, qui vel mortis causâ, vel inter vivos celebratur. Mortis causâ, per testamentum scil. legatum aut donationem mortis causâ feudum in alium transferri minimè posse jam suprà traditum, quod in tantum procedit, ut nec pro animâ, nec ad pias causas facta concessio valeat. *§. donare. 2. F. 9*

3. Ad alienationem inter vivos pertinet potissimùm donatio *2 F. 9. §. donare* Vult. *de feud. lib. 1. c. 10. num. 45.* venditio *F. 55. pr. vers. habito igitur* permutatio *arg. l. 1. §. item emptio. ff. de rer. permut.* Schrad. *p. 3. c. 1. num. 30.* Mynsing. *6. O. 30.* Rosenth. *c. 9. concl. 6. n. 4.* Compensatio. Vult. *d. c. 10. n. 53.* Rosenthal. *d. c. 9. conclus. 7. in pr.* datio in solutum. Vult. & Rosenth. *dd. ll.*

4. Datio quoq; in dotem est prohibita, *d. §. donare. 2. F. 9.* utpote cùm dos proprium efficiatur mulieris patrimonium *l. 3. §. 5. ff. de minor.*

l. 12 ff. ad L. Falcid. Sed hoc de patre filiam ex feudo dotare volente intelligendum; Mulier autem pro se feudum marito in dotem dare minimè prohibetur *2. F. 13. & 17.* hac tamen lege, ne detur æstimatum, *arg. l. 16. §. 4 & 5. ff. de jur. dot.* aut cum pacto de lucro dotis. Rosenth. *d. c. 9. concl. 9.* Niell. *disp. feud. 6. th. 6. lit. g.*

5. Eódem etiam refertur datio in Emphyteusin *arg. 2. F 55. in pr. & ibi FF.* communiter. Vult. *d. c. 10. num. 47.* Mynsing. *d. obs. 30. num. 1.* nisi fiat ad breve tempus pro tantâ pensione, quæ sumptibus in servitiorum præstationem necessariis sufferendis respondeat. Bocer. *cl. 5. d. 19. th. 66.* Hodiè tamen terras steriles, pascua & eremos quasi generali consuetudine in Emphyteusin dari posse testatur Clarus §. *feudum. quæst. 33. num. 4.* Vultej *d. c. 10. num. 47.*

6. De locatione & conductione ad longum tempus, an sit alinationis species, non immeritò ambigitur. Affirmativa plerisque communiter placet. Zas. *de feud. p. 9. num. 12.* Sonsbec. *p. 12. num. 84.* Vult. *d. c. 10. num 48.* Rosenthal. & al. ab ipso alleg. *d. c. 9. concl. 7. lit. I. & K.* sed nullo stabili niti videtur fundamento, ideoque negativa præferenda, tùm quòd Vasallo feudum absque fraude locare indistinctè sit concessum *d. §. donare 2. F. 9.* tùm quòd Usufructuario, qui minus juris habet, usumfructum suum alii locare liceat § *1. Inst. de usu & habit.* Degenerare autem locationem ad longum tempus in emphyteusin, uti dissentientes opinantur, falsum est. *arg. l 2. C. de præscript. 30. ann. Nov. 120. c. 3.* Vide latè Pinell. *in l. 1. p. 3. num 66. C. de bon. mat.*

7. Oppignorationem seu obligationem pro pignore, quam secuta traditio, alienationis speciem & sic illicitam esse liquidò constat per tex. *2. F. 55. pr. & vers. callidis, 1. F. 5. §. aut si libellario. 2. F. 8. §. fin.* An autem de sudâ hypothecâ in feudo alicui per conventionem constitutâ idem sit dicendum, ingens admodum est controversia, in quâ affirmantium partes, quas alibi secuti sumus, nunc quoque tuebimur, cùm pignus in genere sit prohibitum *d. tex. 2. F. 55. pr.* & generali pignoris appellatione hypotheca contineatur *l. 1. pr. ff. de pignor. act. §. 7. Inst. de act.* idemque jus persequendi & distrahendi rem obligatam creditor Hypothecarius consequatur *t. t. ff. de distract. pign. & hypoth.* Sonsbec. *p. 12. num. 100.* Gail. *2. Obs. 154. num. 5.* Pruckman. *vol. 1. consil. 17. n 35.*

8. Huic classi adjungimus etiam constitutionem ususfructus, quæ inter species alienationis diserte numeratur *l. ult. C. de reb. alien. non alien.* & eandem, quam alienatio in genere prohibita, & in dotem datio

habet

habet rationem: ideoque & Vasallus Usumfructum in prædio feudali cuidam constituens veræ alienationis pœnam meretur Sonsbec. *part. 12. num. 103.* Vult. *lib. 1. c. 10. num. 41.* Rosenthal. *cap. 9. concl. 12.* Tam noxia tamen non est impositio servitutis realis, quippe quæ in prejudicium imponentis subsistit, sed ejusdem jure resoluto, Domino vel successoribus, saltem nocere nequit *2. F. 8. §. rei autem.* Rosenth. *cap. 9. concl. 11.*

9. Deniq; nec Constitutum possessorium, quo Vasallus ipse possidere desinit, & suo ministerio alium possessorem facit, seu alieno nomine incipit possidere *l. 18. ff. de acquir. vel amit. poss.* ab alienationis illicitæ speciebus excludi potest, quippe cum Constitutarius jure Domini per Vasallum possideat, & fructus ad ipsum pertineant, *l. 7. §. ult. ff. quib. ex caus. in poss. eatur. l. 48. ff. de solut.* Mynsing. *cent. 6. obs. 100. num. 13.* Clarus *lib. 4. sentent. §. feudum q. 31. num. 4.* Zasius *de feud. part. 10. num. 8.*

10. Illicitæ alienationis, effectus qui sit, sequenti disputatione dicetur: nunc illud hîc quæritur; An etiam alienatio feudi, quæ fit ex necessitate famis aut æris alieni, prohibita esse censeatur? Quod licet æquius ac humanius videatur, ut cum nonnullis negemus, ab affirmantium tamen partibus recedere clara juris dispositio vetat *2. F. 9. p. junct. 2. F. 52. 55.* qui textus sunt generales, quorum vigore nec pro animæ salute feudum alienare Vasallo licet: nec necessitas tanta videri debet, ut ejus obtentu jus tertio quæsitum interverti debeat, *arg. l. 11. C. de contrah. empt.* Zas. *p. 9. num. 13.* Sonsbec. *p. 12. n. 77.* Hartman. Pistor. *2. q. 6. num. 49. & seqq.* Schrader. *p. 8. c. 1. num. 20.*

11. Non solùm Vasallus feudum invito domino, sed etiam Dominus, qui cum ipso in plerisq; ad paria judicatur *2. F. 6. & ibi FF.* directum suum dominium, invito Vasallo alienare prohibetur *2. F. 34. §. ex eadem. 2. F. 55. §. firmiter.* Clarus *d. §. feudum. q. 28. num. 1.* Mynsing. *4. Obs. 91. num. 9.* Ubi tamen casum summæ ipsum prementis necessitatis excipiunt, Vult. *lib. 1. de feud. c. 10. num. 71.* Heig. *lib. 1. q. 19.* Rosenth. *c. 9. conl. 62. num. 20.* Alii etiam cum totâ curiâ & universitate hanc alienationem fieri posse existimant, Gail. *2. de p. p. c. 15. num. 13. & seq.* Clarus *d. q. 28.* de quo quidem dubitare liceret: veruntamen id usu servari testatur Rosenth. *d. concl. 62. num. 27. & 28.*

12. An idem dicendum sit de Principe ratione subditorũ, non incommodè hîc disquiritur. Et Certũ quidem est jus Vasallorũ à jure subditorum esse diversum, & juramentum subjectionis à jure fidelitatis multum differre,

differre. Vult. *lib. 1. c. 6. num. 5.* si tamen cogitemus, principem non tàm dominum, quàm gubernatorem, custodem & Protectorem subditorum esse, ejusq; sublimitatem & autoritatem ex populi processisse voluntate, non videtur ipsi tributa tanta Potestas, ut subditos mancipiorum aut bestiarum instar alienare queat *arg. Novel. 149. c. 3. Novel. 161. cap. 2.* vid. Heig. *d. q. 19.* Hotoman. *illustr. quæst. 1.* Bodin. *lib. 1. de repub. c. 9. & lib. 6. c. 2.*

13. Hactenus de alienatione feudi illicitâ; ad quam non pertinet illa, quæ contingit per Transactionem, Compromissum, aut Divisionem. Nam Transactio de feudo, modò nihil fraudulenter, sed omnia bonâ fide ob probabilem timorem & incertum litis eventum à Vasallo agantur, est licita, 2. F. 43. nec distinguimus cum communi Dd. Scholâ, num decidendi an deminuendi animo facta sit, quia transactio nunquam nisi dato, retento, vel promisso aliquo fieri potest *l. 38. C. de transact.* Zas. *§. 9. n. 19.* Sonsbec. *p. 12. num. 97.* Vult. *d. c. 10. num. 89.* Compromittere quoq; in arbitros Vasallum posse, modò id fiat sine detrimento jurisdictionis & juris domini, vel inde patet, quod species quædam transactionis sit compromissum, etiam ad instar judicii, in quo & agere & actiones suscipere ipsi licet, *2. F. 26. §. si Vasallus 2. F. 43.* sit redactum. *l. 1. ff. de recept.* Vult. *lib. 2. de feud. c. 2. n. 3.*

14. Divisionem quoq; feudi ejusdemq; adsignationem licitam esse dubitari minimè debet. Permissum enim successoribus est, vel communiter ac pro indiviso feudum possidere, & fructus inter se dividere, vel etiam illud partiri, ut singuli certis ejus partibus fruantur. *2. F. 12. §. si duo fratres 2. F. 26. §. omnes filii 2. F. 55. §. præterea ducatus* eaq; divisio adeò est licita, ut unus ex successoribus reliquos ad divisionem provocare & invitos cogere possit *d. §. omnes. 2. F. 26.* Duaren. *tr. de feud. c. 12. num. 19.* Ern. Cothman. *vol. 1. consil. 23. num. 87. & seqq.*

15. Majorum tamen & Regalium feudorum divisio est prohibita *2. F. 55. §. præterea*, ob conservationem scilicet potentiæ & dignitatis illustrium familiarum & alias causas, de quibus Dd. passim. Verùm hodiè & hujusmodi feuda non solùm ratione jurisdictionis & administrationis, sed etiam ratione bonorum & utilis dominii dividi solere, idq; sine consensu summi principis, præter experientiam testantur Gail. *2. obs. 153. per tot.* Vult. *lib. 1. de feud. c. 8. n. 36.* Excipiuntur ab hac juri contrariâ consuetudine Regna & Electoratus, in quibus dispositio juris feudalis fuit retenta Aur. Bul. Carol. IV. *tit. 24.* Hartman ab Epping. *2. Obs. 20.*

2. *Obs.* 20. Gail. *d. obs.* 153. *n.* 2. Dn. Reinking *de regim. secul. lib.* 1. *cl.* 4. *cap* 17. *num.* 29.

16. In universum verò licitam facit alienationem feudi tum autoritas juris, tum consensus domini. Autoritate juris licet Vasallo feudum suum Domino etiam invito, refutare, 2. F. 9. 14. 38. *in fin.* & per subinfeudationem in alium transferre 2. F. 3. §. *sed etiam res.* 2 F. 26. §. *beneficium.* 2. F. 34. §. *similiter.* 2. F 55. §. *insuper. vers. illud quoq;* de quibus duobus alienandi modis præcedenti disputatione actum. Huc pertinet etiam consuetudo, quâ feuda æri alieno passim sunt obnoxia, & ob id irrevocabiliter alienantur. Lindeman. *exerc. feud.* 3. *c.* 8. *th. ult.*

17. Domini consensu quævis facta alienatio & semper valuit & adhuc est licita. 1. F. 5. 13. 21. 2. F. 34. §. *similiter* 52. & 55. sive ille præcedat, sive per ratihabitionem subsequatur *arg. l. ult. C. ad Sc. Maced.* Requiritur autem consensus potissimùm expressus; nec sola scientia cum taciturnitate sufficit, nisi factum aliquod Domini, quo possessorem feudi alienati pro Vasallo agnoscat, accesserit: ex quo consensus ejus colligatur. Niell. *disp. feud.* 6. *th.* 5. Rosenth. *c.* 9. *concl.* 29. *num.* 4. Præsens quoq; alienationi si tacuerit, non statim ratam habuisse intelligitur. *arg. l.* 8. §. 1. *ff. de procur. l.* 5. *ff. de servit. urb. l.* 8. §. 15. *ff. quib. mod. pign. solv.* Jacobin. de S. Georg. *tract. feud. in verb. & cum pacto de non alienando num.* 20. Niell. *d. disp.* 6. *th.* 5. *lit. b.*

18. Et quia consensus hic stricti est juris, ideoq; nec de personâ ad personam, nec ab unâ specie alienationis ad aliam extendi potest. Hinc consensu de vendendo accommodato, non poterit Vasallus feudum permutare, donare, imò nec hypothecæ obligare aut pignori dare. Modestin. Pistor. *lib.* 1. *q.* 15. *n.* 43. Vult. *d. c.* 10. *num.* 66. Consensu verò in genere impetrato, in quemcunque & quocunque modo facta alienatio licita est, modò non transferatur in inimicum domini, inhabilem, potentiorem, ecclesiam aut universitatem, quæ emori nequit. Rosenth. *d. c.* 9. *concl.* 33. & 34.

19. Censetur etiam Dominus consensum adhibuisse, Salvo jure directi sui dominii. Sed quid, si consenserit fortè hypothecæ, num feudo posteà ad se devoluto creditori erit obligatus, ut debitum exsolvere teneatur? Quod, contrahentium intentione & tenore consensus in specto, dicendum videtur. Consentiendo enim dominus creditorem securum facere, & juri suo, quod habet in istâ re, earenus renunciare, non autem eum decipere voluisse intelligendus est. *arg. l.* 4. §. 12. *ff. de dol. mal. &*

met. except. l. 11. C. de fideicom. l. 13. ff. de minor. l. 89. ff. de condit. & demonst. Hartman. Pistor. *lib. 2. q. 12. & q. 48. sub fin.*

20. Si Vasallus de feudo sic fuerit investitus, ut & ipse habeat, & quibus is velet dare 2. F. 48. dominus in alienationem quandocunque futuram consensisse videbitur; an autem jus directi sui dominii in casum factæ alienationis abdicasse existimetur, & jus feudi, vi hujus pacti alienati in accipientis personâ exstinguatur, non prorsus videtur esse liquidum. Communis opinio affirmat per textus expressos *2. F. 26. §. feudum. & 2. F. 48.* eamq; tenet Zas. *part. 10. num. 25.* Sonsbec. *p. 5. num. 8.* & sequitur Rosenthal. *c. 9. concl. 42. num. 17.*

21. Porrò feuda etiam licitè (h. e. cum consensu domini aut statuto vel consuetudine permittente) alienata non raro revocantur jure πρωτιμίσεως, quod aliàs dicitur jus Retractus, item jus Congrui, German. Näher kauff/Einstand/Abtrieb/& non solum jus alienationem factam rescindendi, sed etiam imminentem prohibendi continet, adeo ut si quis prohibitione, quâ uti poterat *2. F. 9. §. 9.* usus non sit, feudum tamen postea retrahere non prohibeatur. Schrad. *p. 8. c. 7.*

22. Retractus locum potissimùm habet in venditione, vel quando pretium intervenit. Hinc primarium ejus requisitum, ut retrahens justum pretium & integrum offerat *l. 13. §. offerri ff. de act. empt. l. 2. C. de pact. inter empt. & vent.* Gail. *2. Obs. 19. n. 7. & 8.* non illud, quo communiter, vel ex unius aut alterius licitatione res æstimatur, sed quod emptor solvit aut solvere est paratus *2. F. 3. §. sed etiam res 2. F. 9. §. porrò* Schneid. *p. 7. de feud. num. 103.* Schrad. *p. 8. c. 7. n. 7.* Vult. *lib. 1. de feud. c. 11. num. 104.* modò omnia sine dolo & fraude inter venditorem & emptorem fuerint acta, Koppen *decis. 54. num. 47.* Schrader. *d. c. 7. num. 7.*

23. Præter pretium etiam sumptus & impensas necessarias contractus causâ in rem factas, item meliorationes restituere tenetur *l. 27. post. pr. ff. de ædil. edict. l. 18. §. ult. de liber. caus.* Koppen *decis. 52. num. 24.* Gail. *2. Obs. 19. num. 9.* Tiraquel. *de retract. lignag. §. 29. glos. 4. num. 1.* modicarum tamen expensarum quæ ad prædium fortè sartum tectum conservandum erogatæ sunt, ratio non habetur, sed illæ cum usu rei compensantur *l. 12. ff. de impens. in res dot. fact. l. 18. § in fin. commod.*

24. Pretium offerri debet cum impensis realiter, seu in pecuniâ numeratâ, nec sufficit, quod retrahens pignora vel fidejussores, quamvis idoneos dare velit *arg. l. 4. §. 3. de re jud. l. 10. de pignor. act.* Hartm. Pistor. *lib. 2. q. 12. num. 6.* Quod si utriusq; quantitatem veram ignoret, particulares

cularis oblatio cum protestatione de reliquo etiam solvendo fieri potest *l. 5. l. 34. §. imperator. ff. de statulib.* Tiraquell. *d. tract. §. 1. gl. 19. num. 2. & seqq.* Gail. *d. obs. 19. num. 8.*

25. Alterum requisitum juris hujus est, ut exerceatur intra annum & diem *c. constitutus. ext. de restit. in int. 2. F. 26. §. Titius filios masculos.* Mynsing. *cent. 3. Obs. 51.* Gail. *2. Obs. 19.* quod tempus tamen currit non absenti & ignoranti, sed plenam rei notitiam habenti Rosenth. *cap. 9. concl. 93.* Vult. *d. c. 11. num. 108.* & non quidem statim à factâ venditione, sed subsecutâ demum traditione. Gail. *d. obs. 19. num. 17. sub fin.* Johan. Koppen *decis. 52. num. 27.* Boer. *decis. 112. num. 3. in fin.* Ignorans autem 30. demum annorum præscriptione excluditur. Hartman. Pistor. *d. q. 12. num. 36.* Rosenth. *d. concl. 93. num. 16.*

26. Datur hoc jus προτιμήσεως seu Retractus non tantùm Domino iis casibus, quibus absque consensu ejus feudum alienari potest 2. F. *9. §. porro*, excepto casu subinfeudationis, *2. F. 3. §. 1.* Gudelin. *in comment. de feud. p. 4. c. 3.* sed post illum etiam omnibus in investiturâ vocatis filiis scilicet & agnatis: & illis quidem feudum à patre alienatum, sive fuerit novum, sive paternum, vivo patre, reddito pretio, redimere licet *2. F. 3. §. 1. junct. l. 12. ff. de suis & legit.* Koppen *decis. 54.* Sonsbec. *p. 10. num. 125.* nec obstat, quamvis cum consensu Domini fuerit alienatum. Sonsbec. *d. part. 13. num. 100.*

27. Agnatis, si nulli relicti sunt liberi, non quidem pro feudo novo, (utpote in quo nihil juris habent) sed paterno etiam cum consensu Domini alienato, vivo alienatore, revocando eodem hoc remedio succurritur *2. F. 26. §. Titius. 2. F. 3. §. 1. 2. F. 9. §. 1. vers. porrò*, ita tamen, ut proximus remotiorem excludat, *2. F. 3. §. 1. 2. F. 9. d. vers. porrò* sive in extraneum, sive in agnatum remotiorem sit alienatum per *d. §. Titius filios. 2. F. 26.* Zas. *p. 9. n. 25. & seq.* Hartm. Pistor. *2. q. 6. num. 20.* quo si vivo alienatore Agnati usi non fuerint, eo defuncto jure successionis quocunq; titulo alienatum, nullo etiam pretio refuso, (nisi ob onus quoddam feudo incumbens alienatio facta sit, quod quivis successor omni jure agnoscere tenetur) revocare queunt. Hartman. Pistor. *2. q. 6. num. 8. & q. 19. n. 17.* Jul. Clar. *§. feudum. q. 41. n. 2.* Vult. *d. c. 11. num. 82.*

28. Tempus huic revocationi, quæ jure fit successionis, præfinitum, sive in remotiorem agnatam fuerit alienatum sive in extraneum, 30. est annorum Schrader. *part. 8. c. 8. num. 34. & seqq.* Fachin. *lib. 7. controvers.*

cap. 11.

cap. 11. Quod si proximior hoc jure revocandi uti nolit, edicto successorio locus est, sive jure successionis, de quo minus dubium Vult. *d. c. 11. num. 101.* Rosenth. *d. c. 9. concl. 82. num. 4.* sive jure προπράσεως revocatio sit facienda. Sonsbec. *p. 13. num. 119.* Fachin. *7. controvers. 17.* Rosenth. *d. concl. 82. num. 11.*

29. Cessat Revocatio feudi alienati, 1. si sit absolutè hereditarium Hartman. Pistor. *2. q. 14. pr. & n. 1.* Vult. *d. c. 11. n. 90.* 2. si Dominus vel in investiturâ comprehensi alienationi tacitè vel expressè consentiant *2. F. 39. 2. F. 55. §. præterea* Schrad. *p. 8. c. 4. num. 29.* 3. si tempus revocationi præfinitum elapsum sit, post quod ne ad moræ quidem purgationem admittuntur. Hartman. Pistor. *2. q. 12 num. 21.* Rosenth. *c. 9. concl. 93. n. 4.* Quod si etiam agnati, quibus aliàs jure proprio succedendi uti licet, defuncto heredes facti sint in allodio, feudum alienatum revocare prohibentur *arg. l. 14. C. de R. V. l. 24 C. de donat. l. 149. ff. de R. I.* Zas. *part. 9. n. 28.* Rosenth. *c. 9. concl. 69.*

30. Cæterùm consensus tacitus, qui Agnatum â jure revocandi feudum alienatum excludit, ita prout suprà de Domino dictum, est intelligendus, ut scilicet ex solâ præsentiâ & taciturnitate, quâ alienationi præsens non contradixit, minimè colligatur, sed tùm demum, si ultra præsentiam verbis quibusdam aut facto alienationem sese probare ostenderit, interveniisse censeatur, v. c. si emptori persuaserit, ut emeret, vel evictionem se præstiturum spoponderit *l. 11. C. de evict.* Ex eo verò, quòd tanquam testis instrumento subscripserit, vel tutorio nomine in alienationem consenserit, idem colligi non potest. *l. 8. §. 15. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. solv. l. 39. ff. de pignor. act. arg l. 26. C. de admin. tut. vel curat. §. si tutor. Inst. de inoff. testam.* Tiraquell. *de retract. lignag. §. 1. gloss. 9. n. 14. 21. & seqq. num. 148. & seq.*

31. Quod si forte futura venditio agnato denuncietur, isq; requisitus tunc emere noluit, non solùm intra annum jure προπράσεως uti non prohibetur, sed &, mortuo alienatore, jure succedendi feudum revocare potest, quia renunciatio nisi expressè facta sit, velut odiosa non præsumitur *l. 25. ff. de probat.* Hartm. Pistor. *p. 2. q. 7. n. 8* Berlich. *p. 2. concl. 40. n. 48.*

32. Circa consensum denique hoc ignorandum, quod proximior consentiens cæteris remotioribus nullum gignat præjudicium, quò minùs his eo defuncto, feudum alienatum revocare liceat. Quod etiam de illis, qui ejusdem sunt gradus, est accipiendum *arg. §. e contrario 2. F. 8.*

Ardizon. *tit. quib. mod. feud. amit. sub rubr. 108.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777867001/phys_0078
DFG

DISPUTATIO FEUDALIS
DECIMA
De
Feudi amissione, & amissi devolutione.
RESPONDENTE
CONRADO Vogten/Lippiâ Westph.
THESIS I.

ORdinis ratio postulat, ut nunc de modis, quibus feudum amittitur, & de illis, ad quos amissum devolvi debeat, videamus. Amittitur feudum vel sine culpâ Vasalli, vel per culpam. Sine culpâ primò mutatione Personæ, tùm per Clericatum & habitus religiosi assumptionem 2. F. 21. 26. §. *qui Clericus*. 2. F. 30. 36. 109. tùm per mortem, quando sine successore feudi capace Vasallus decedit 2. F. 45. & 51. §. *filius*.

2. Secundò contingit hæc amissio rei, in quâ feudum consistit, interitu, ad exemplum ususfructus *pr. & §. 3. Inst. de usufr. l. 5. §. 2. ff. quib. mod. usufr. amitt.* & emphiteuseos *l. 1. C. de jur. emphyt. arg. l. 129. §. 1. ff. de R. I. c. accessorium 42. eod in 6.* vel in totum, si res tota; vel pro parte, si pars saltem interierit. Interire autem possunt etiam fundi, terræ motu *d. §. 3. Inst. de usufr. l. 15. §. 1. ff. locat.* item inundatione, quâ obruuntur *l. 10. §. 2. l. 23. ff. quibus mod. usufr. amit.* & hostili occupatione *l. 12. §. ult. ff. de rei. aut. jud. possid.* quâ tamen cessante, feudi pristinum jus postliminio restituitur, non secus ac ager inundatus, abscedente aquâ, ad pristinam causam redit *l. 23. & l. 26. ff. quib. mod. usufr. amitt. arg. l. 12. §. 1. l. 16. ff. de capt. & postlim.*

3. Si tamen feudale ædificium chasmate vel incendio perierit, feudum non amittitur, sed in areâ adhuc manet *arg. l. 29. §. 2. ff. de pignor. & hypoth. l. 21. ff. de pignor. act.* secus quàm constitutum est in usufructu ædium, utpote qui exustis ædibus in totum interit, ut nec ex areâ aliquid amplius debeatur. *l. 5. §. 2. ff. quib. mod. usufr. amit. §. pen. Inst. de usufr.* Quam sententiam non obscurè probant Schrader. *p. 9. sect. 7. num. 61.* Rosenth. *c. 10. concl. 3. num. 43.*

4. Similiter sine culpâ feudum amittit Vasallus illud refutando, de

quo suprà jam dictum, item finito tempore, ad quod usq; concessum, sive id in investiturâ expressam fuerit 1. F. 2. pr. sive sit tacitum, ut in feudis Guardiæ, Castaldiæ, & similium temporariarum administrastionum, quæ citra pactum, certo tempore elapso, intereunt 1. F. 2. & 11. non tamen ipso jure, sed Domini revocatione interveniente d. text. 1. F. 2. ibi: transacto anno potest jure auferri.

5. Culpa, ob quam feudo excidit Vasallus, barbarâ voce dicitur Felonia 2. F. 26. § domino committente 2. F. 38. & 47. de cujus origine vid. Rosenthal. c. 10. in princ. & aliospassim. Per eam verò in hac materiâ denotatur dolus 2. F. 34. in fin. 2. F. 52. §. ult. 2. F. 24. §. denique Zas. de feud. cap. 10. num 32. & culpa lata 2. F. 24. §. præterea. ibi: dolo, vel negligentiâ sua, non etiam levis, multò minùs leviſſima. Et quamvis plurimæ ejus sint species in usibus feudorum recensitæ, sub duo tamen hæc summa membra cogi potest, quod consistat vel in committendo, vel omittendo. Rosenth. c. 10. concl. 1. Vult. lib. 1. c. 11. num. 16.

6. Culpa consistens in commendo est factum aliquod improbum, quo Dominus graviter offenditur. Dum factum hic requiritur, nudum propositum & voluntas dominum offendendi removetur. 2. F. 51. §. si voluerit. Niell. disp. feud. 8. th. 5. in comm. Perpetratur autem hæc culpa, vel in Dominum ipsum, vel in extraneum. Dominus offenditur, vel directè & immediatè, vel per consequentiam. Vult. d. c. 11. n. 18.

7. Directò contra dominum culpam committit Vasallus, si injuriis realibus, percutiendo scilicet aut vulnerando, vel alia reali injuriâ eundem læserit 2. F. 24. §. porrò multò magis si occiderit: nisi ob tutelam propriæ salutis illi parcere non potuit; quo casu in nullo peccasse videtur l. 3. C. ad L. Cornel. de sicar. l. 3. §. de J. & J. l. 4. l. 45. §. qui cum aliter ff. ad L. Aquil. Schrader. part. 9. c. 4. num. 54. Nihil autem interest, sive occiderit, sive insidias vitæ domini veneno, gladio vel alio quolibet modo reipsâ struxerit. d. 2. F. 24. vers. porrò 2. F. 51. §. si voluerit & ibi Frid. Schenck. Baro. Sonsbec. p. 12. num. 37. Schrad. d. c. 4. n. 25. & sive per se id fecerit, sive per alium arg. l. 1. §. dejecisse ff. de vi arm. l. 11. pr. & §. si mandato ff. de injur. Sonsbec. d. p. 12. num. 36. Schneidewin. epit. feud. p. 8. s. 1. num. 95.

8. An autem Vasallus feudo privari possit, si manum saltem, quasi percussurus levavit, non tamen percussit, non cacer controversiâ. Et licet quidem injuria hæc quædam sit per l. 15. §. 1. ff. de injur. non tamen tantæ atrocitatis esse videtur, ut propterea Vasallo feudum sit auferendum

dum Schenck. *ad d. 2. F. 51. §. si voluerit.* Jacob. de S. Georg. *in verb. dicto, Vasalli promiserunt num. 48.* Zas. *part. 10. n. 38.* sicut nec tunc, si juraverit fortè in necem Domini, sed pœnitentiâ ductus ad externum actum non est progressus, eo privari potest. Vult. *d c. 11. n. 20.* Rosenth. *c. 10. concl. 17. num. 12.*

9. Huc pertinet, si castrum domini obsederit, & illud assilierit aut oppugnaverit *l. F. 5. similiter. 2. F. 24. §. porrò* sive sciat dominum ibidem commorari, sive nesciat, imò etiam licet dominus ibi non commoretur, non tamen vel ob ignorantiam suam, vel ob domini absentiam excusatur Glos. *in d. §. similiter. in verb. sciens & ibid.* Gothof *lit. p.* Zas. *p. 10. num. 38.* quia sine gravi domini injuriâ oppugnatio hujusmodi fieri nequit. Niell. *d. d. 8. th. 5. lit. a.*

10. Eandem culpam committit, si gravem injuriam verbalem domino intulerit *2. F. 24. §. porrò* vel per alium inferri curaverit *arg. l. 5. §. 9. l. 15. §. 8. ff. de injur.* si amicitiam cum inimicis domini in perniciem ejus copulaverit *2. F. 57.* aut hostibus ejus quocunq; modo subsidia præstiterit *2. F. 7. vers. & si scivero* si delator domini extiterit, & de crimine quodam, licet vero & ab ipso probato eundem accusaverit, *2. F. 24. vers. item si delator.* Sonsbec. *part. 12. num 47.*

11. Non minùs etiam feudi jacturam patitur, si famosam actionem contra dominum instituerit *2. F. 55. §. præterea* ad quam tamen interdictum unde vi non est referendum Vult. *d. c. 11. n. 27.* Mynsing. *cent. 4. obs. 91.* aut testimonium in causâ criminali vel civili modicâ contra illum perhibuerit *2. F. 32. §. similiter.* vel accusatori in judicio adfuerit & Advocati partes obierit, Gail. *1. obs. 88. num 5.* Zas. *d. p. 10. num. 42.* aut judex in causâ Domini constitutus ex dolo malè judicaverit Vult. *d. c. 11. n. 27.*

12. Ad hæc directò dominum offendit, si credentiam, seu secretum fidei suæ commissum in domini perniciem malitiosè detexerit, & aliis revelaverit *1. F. 17.* licet nihil damni exinde fuerit secutum Schrad. *part. 9. c. 5. num. 50.* item si feudum vel ejus conditionem per dolum aut latam culpam inficiatus sit aut abnegaverit *2. F. 26. §. Vasallus si feudum 2. F. 34. §. ult.* quod multis tamen modis limitatur, prout videre & apud Schrad. *d. p. 9. c. 6. num. 25. & seqq.* Cæterùm qui partem abnegavit, eâ saltem parte, non toto feudo multatur, ne pœna delictum excedat. *l. 22. C. de pœn.* Bocer. *cl. 5. d. 20. th. 36.*

13. Ita directò offenditur Dominus: sequitur nunc quomodo per

consequentiam, tùm in personis conjunctis, tùm etiam in rebus, Persona maximè conjuncta est Conjux, cum quâ si vasallus concubuerit, & Dominum, prout Longobardis loqui mos fuit, cucurbitaverit, feudo maximè indignum sese reddit. *l. F. 5. pr. 2. F. 57. l. F. 21. §. si quis miles.* quod & dicendum, si saltem concubitum hujusmodi attentaverit *d. pr. l. F. 5.* nisi pœnitentiâ ductus sponte suâ ab hoc facinore destiterit *arg. §. si voluerit 2. F. 5.* Lusus quoq; cum conjuge impudicus, lasciva contrectatio, & osculum citra morem gentis & honestæ affectionis rationem datam æqualem cum ipsa cucurbitatione pœnam promerentur. Sonsbec. *p. 12. n. 24.* Rosenth. *c. 10. concl. 28. num 3. & seqq.*

14. Quod de uxore dictum, etiam ad matrem, filiam, nurum & sorotem Domini rectè extenditur *l. F. 5. pr. arg. 2. F. 24. §. rursus 2. F. 6. vers. honestum.* In Sponsa quoque istud flagitium admissum æquali severitate coercetur *arg. l. 13. §. 3 ff. ad L. Jul. de adult. l. 15. §. Sponsam ff. de injur.* Zas. *d. p. 18. n. 27.* Schrad. *p. 9. c. 2. n. 12.* Cum vidua verò domini concumbés pœnam privationis non incurrit per text. *l. F. 21 §. ult. ibi: Domino vivente.* Vult. *d. c. 11. n. 31. vers. quid de vidua.* Schenck. Baro *ad l. F. 5. vers. item si fidelis.*

15. Sic & cum concubina Domini, quæ hodiernis præsertim moribus nihil honestatis habet, se commiscens, feudo minimè est multandus. Sonsbec. *d. p. 12. n. 22.* Vult. *d. c. 11. num. 31.* quod & dicendum, si pedissequam vel famulam, quæ in domo Domini est, stupraverit. Sonsbec. & Vult. *dd. ll.* Et licet quoad hanc nonnulli dissentiant, certum tamen est, pœnam privationis ad casus dissimiles non extendi, qualis hic est, cùm famula non ita, uti uxor, & cæteræ personæ, sit conjuncta.

6. Pœna commissæ hujus libidinis etiam tunc habet locum, si personæ prædictæ in eandem consenserint, & non invitis sed volentibus vitium sit oblatum *l. 1. §. 5. l. 26 ff. de injur.* Schrad. *d. p. 9. c. 2. n. 19.* Si autem meretriciam ducunt vitam, & pudorem vulgò prostituunt, cùm in meretricem nec adulterii nec stupri crimen committatur, *l. 22. l 29. C. ad L. Jul. de adult.* Vasallus cum iis rem habens feudo non videtur privandus. Bocer. *d. D. 20. th. 55.*

17. Non solùm prohibitâ hujusmodi libidine, sed & aliis modis in personas domino conjunctas cum ejusdem offensione delinquitur & feudum amittitur, v. c. si locum in quo uxor est domini, Vasallus obsideat & impugnet, vel ipsammet assiliat, *arg. l. F. 5. §. similiter.* Idem & dicen-

dicendum, si filium domini vel locum, in quo degit, affilierit, Schrader. *d. p. 9. c. 3. num 8.* Rosenth. *cap. 10. concl. 18. num. 17.*

18. In Rebus Domini Vasallus culpam committit non solùm si castro aut munitionibus, vel aliis possessionibus ejus damnum inferat *2. F. 6. vers. Tutum. & vers. utile. 2. F. 21. pr.* sed & si ipso feudo insigniter abutatur, illudq; reddat deterius *2. F. 8. §. è contrario. 2. F. 24. §. præterea si Vasallus 2. F. 27. §. quicunq;.* v.g. si arbores fructiferas absq; causâ refectionis ædium ex sylvâ non cæduâ magno numero succiderit *arg. l. 7. §. 12. ff. solut. matrimon.* nisi fuerint vetustæ, & in illarum locum alias plantando substituerit *l. 18. ff. de usufr.* Item si agros reliquerit incultos, ut in dumeta degenerent Schrad. *p. 9. c. 6. num. 69.* Gail. *2. O. 67. n. 8.*

19. Si partis alicujus fit deterioratio, parte saltem illâ, non etiam toto feudo Vasallus privatur *arg. l. 6. l. 11. ff. de his quæ ut indig. l. 58. ff. ad Sc. Trebell.* nisi enormis alicujus partis deterioratio in totius feudi damnum & gravem deteriorationem redundaret: tunc enim totum adimi posset, idq; imprimis eo casu, si Vasallus à domino sæpiùs admonitus, ut feudo moderatiùs utatur, non obtemperavit, sed enormiter illo abuti perrexit. Rosenthal. *c. 10. concl. 33. num 5. & 6.*

20. Et cùm feudum, præsertim Regale, ac Nobile, non tantùm ex rebus inanimatis, sed etiam personis consistat, & gravior læsio sit, quæ personis, quàm quæ rebus infertur, ideoque si Vasallus fortè in subditos nimiùm sæviat, eos exactionibus, servitiis, oneribus insolitis ac indebitis oneret, premat, excoriet, in vincula conjiciat, justitiam illis non administret, aut aliter acerbè maleq; eos tractet, feudo suo privatur *arg. §. ult. Inst. de his qui sui vel al. sunt jur. l. 1. §. ult. l. 2 ff. d. t.* quod procedit, licet à Domino non sit admonitus, ut ab asperitate illâ & iniquitate intolerabili desisteret. *2. F. 27. §. quicunq;* Jacobin. De S. Georg. *in verb. dictiq; Vasalli promiserunt n. 35.* Gail. *1. obs. 17. n. 40.* Mynsing. *5. obs. 8.*

21. Quod de feudi propter ejus enormem abusum & deteriorationem, ac in subditos sævitiam, amissione dictum, locum etiam habet in feudo empto, quod quamvis ratione pretii, quod pro datione ejus intervenit, sit improprium, quoad cætera tamè regularem feudi naturam habet, & iis, quibus alia, modis amittitur *2. F. 48.* Roland. De Vall. *vol. 3. consil. 18. num. 19.* Rosenth. *d. c. 10. concl 33. num. 92.*

22. Porrò etiam insignis culpa in rebus Domini à Vasallo committitur, si domino inconsulto feudum, ejus qualitatem non ignorans, alienet, de quâ alienatione pro instituto nostro præcedenti disputatione

satis multa sunt tradita. Effectus ejus, de quo hîc dicendum, est, quòd propter hanc alienationem Vasallus feudum amittat. 2. F. 52. §. *si quis verò.* 2 F. 55. §. *callidis* & quidem quatenus est alienatum, vel totum, vel ejus partem 2. F. 38. 1. F. 21. §. *ult. arg. l. 6. & l. 8. ff. de legat. 1. l. 22. C. de pœn.* Schrader. *part. 9. c. 1. num. 5.* Bocer. *d. d. 20. th 85.* nec relevat ipsum, quamvis semel alienatum pœnitentiâ ductus statim revocaverit ob rationem generalem 2. F. 44. & 2. F. 24. *in fin. arg. l. 65. ff. de furt.* Vult. *d. c. 11. num. 43.* Bocer. *d. d. 20. th. 79.*

23. Factâ illicitâ alienatione, si Dominus, antequam voluntatem suam de revocando feudo declararet, decesserit, heres ejus feudum alienatum repetere potest, cùm in jus universum ejus, ad quem res feudalis alienata reversa est, 2. F. 24. *in fin.* 2. F. 33. *pr.* 2. F. 44. 2. F. 55. §. *callidis itaq;* succedat. Sic &, Vasallo alienatore mortuo, feudum ab heredibus ejus Domino repetere licet. *dd. texx.* Schrad *part. 2. part 9. sect. 8. num. 21.*

24. Vendito citrà consensum Domini feudo, Vasallus non ipso tantùm feudo privatur, sed & pretii jacturam patitur 2. F. 24. *in fin.* 2. F 52. §. *si quis verò* quod emptori, si bonâ fide & ignorans emerit, est restituendum 2. F. 55. §. *non autem:* si malâ fide & sciens comparavit, fisco applicandum *arg. l. ult. C. de litig.* Notarius insuper, qui Instrumentum super tali alienatione confecit, officio suo exuitur, & cum infamia manu dextrâ, quâ deliquit, privatur 2. F. 52. §. *Notarium verò* 2. F. 55. §. *scriba verò.*

25. Culpa committitur in extraneum, si Vasallus parricidium perpetret i. e. fratrem suum aut ejus filium occidat, 2. F. 24. §. *deniq;* 2. F. 37. *pr.* eo fine, ut feudo solus potiatur *d. pr.* 2. F. 37. Jacobin. de S. Georg. *in verb. dictiq; Vasalli promiserunt num. 15.* Frider. Schenck. *in d. tit.* 2. F. 37. ob parricidium autem vel cædem in aliam personam vel propinquam vel extraneam factam feudum non amittit, nisi eadem de causâ, ut vel citiùs vel solus feudum consequeretur, illam perpetrasse fuerit convictus, Jacob. de S. Georg. *l. 5. d.* Imò etiam tunc, si insidias saltem struxerit tali cuidam propinquo, vel eundem captivum detinuerit, feudo est privandus. Bocer. *d. d. 20 th 100. & seqq.*

26. Pertinet præterea huc proditio convasalli ad eum perimendum 2. F. 37. & crimen læsæ majestatis *c. felicis* §. *si qua verò. de pœn. in 6. & c. quibusdam* §. *sacri. ext. eod. l. 5. C. ad L. Jul Maj.* Schneidew. *part. 8. c. 1. num. 134.* Vult. *d. c. 11. num. 37.* Rosenthal. *c. 10. concl. 35. in addit lit. dd.*

Pro-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777867001/phys_0084
DFG

Propter incestum autem, adulterium, & stuprum cum personâ extraneâ commissum jus feudi resolvi nullo juris feudalis textu potest probari, ideoq; nec adserendum *arg. Novel. 18. c. 5.* quamvis de incestu præsertim communis opinio contrarium statuat, prout videre est apud Rosenthal. *c. 9. concl. 68.*

27. Superest culpa Vasalli in omittendo, quæ non secus, ac in committendo consistens, Vasallum feudo exuit. Hujus species non postrema est, si Vasallus justo tempore renovationem investituræ petere neglexerit *l. F. 22. pr. 2. F. 24. 2. F. 40. pr. 2. F. 52. §. ult.* ob quam culpam post tempus legitimum elapsum nec moræ purgatio admittitur *arg. l. 19. de legat. 2. l. 35. ff. de condict. indeb. l. 10. in fin. prin. ff. de fideicom. libert. l. 11. ff. de R. J.* Sunt tamen justæ quædam causæ, ob quas excusationem meretur *d. pr. 2. F. 22.* Rosenth. *c. 6. concl. 43. & aliquot seqq.* Vult. *lib. 1. c. 7. num. 72. & seqq.*

28. Cæteræ hujus culpæ species sunt, si requisitus servitia præstare noluerit *1. F. 21. pr. 2. F. 24. §. sed non est alia 2. F. 28. §. ad hæc. 2. F. 55. §. firmiter.* annuum canonem ex feudo debitum domino intra triennium non solverit *arg. l. 2. C. de jur. emphyt.* Rosenthal. *c. 10. concl. 34.* justitiam illi facere neglexerit. 2. F. 24. §. *illud tamen* Schrader. *p. 9. c. 7.* de periculo, quod personæ vel bonis domini imminere scit, eundem, cùm posset, non maturè certiorem reddiderit *d. 2. F. 24. §. 2. 2. F. 7.* & in discrimine quodam constitutum, vel in bello, licet præsens ei nondum adsit periculum, deseruerit *2. F. 5. pr. 2. F. 21. §. ult. 2. F. 24. §. item qui dominum 2. F. 57.*

29. Præter has causas ordinarias, legitimas, & jure expressas, cæteræ non expressæ quæ judicis arbitrio relinquuntur æstimandæ, an expressis similes sint, vel etiam illis majores & graviores, ut Vasallus propter unam aut alteram feudo meritò privetur. *2. F. 24. §. 2 vers. prædicta.* Quod autem iisdem de causis, quibus filius exheredari, donatio revocari, matrimonium dissolvi potest, Vasallo feudum adimi debeat, prout à nonnullis pro regulâ traditur, verum non existimamus cum Vult. *d. c. 11. num. 15.*

30. Opportunè hîc quæritur, An Vasallus ob commissam feloniam ipso jure, an verò, postquam ejus convictus fuit, per sententiam judicis feudi jure cadat. Posterius communiori Dd. calculo probatum adserimus *per text. 1. F. 21. 2. F. 57. in fin. 2. F. 24. § 2.* Excipiuntur tamen aliquot casus, quibus privatio ipso fit jure, ita tamen, ut sententiam judi-

cis

tris declaratoriam accedere sit necesse. Vide latè Schrader. *part. 2. part. 9. sect. 8. num. 14. & multùm seqq.* Vult. *d. c. 11. n. 57. & 3. seqq.*

31. Videamus nunc paucis, ad quos feudum amissum devolvatur. Circa quod distinguendum inter delictum in Dominum & extraneum commissum. Si in Dominum commissum, (quò pertinet etiam neglecta investituræ petitio, & feudi alienatio) ad eundem quoq; devolvitur, sive novum fuerit, de quo minùs dubium, sive antiquum, ita ut & hoc Domini sit irrevocabiliter *2. F. 24. §. fin. 2. F. 26. §. si Vasallus culpam.* Rosenth. *cap. 11. concl. 5. num. 3. & concl. 9. num. 8.* Fachin. *7. contro. 22.* Si in extraneum, novum quidem etiam ad Dominum redit, vetus verò, exclusis descendentibus, agnatis proximioribus defertur *d. §. fin. 2. F. 24. 2. F 37.* quod & eo casu obtinet, ubi bona Vasalli ob crimen læsæ maj. sunt publicata, nisi feudum sit hereditarium. Rosenth. *c. 11. concl. 12.* Gail. *lib. 2. de p. p. c. 14. num. 3.*

32. Quoad fructus feudi amissi distinguendum, utrùm absq; culpâ vel per culpam sit amissum. Priori casu v. c. morte Vasalli observanda est quoad Dominum & Agnatos distinctio temporis, quæ traditur *2. F. 28. §. his consequenter & 2. F. 45.* Hartman. Pistor. *lib. 2. q. 24.* Vult. *d. c. 11. num. 113. & 119.* Posteriori Vasallus, quos ante culpam percepit, suos indistinctè facit, ad exemplum Usufructuarii & b f. possessoris *l. 48. ff. de A. R. D. l. 25. ff. de Usur.* post culpam perceptos restituit; pendentes adhuc unà cum fundo feudali, velut partem ejus amittit. *l. 44. de R. V.* Schrad. *p. 2 part. 9. sect. 3. num. 28. & seqq.*

33. Meliorationes & impensæ eandem admittunt distinctionem, ut feudo sine culpâ amisso, illæ ad heredes Vasalli cujuscunq; generis pertineant, *2. F. 8. §. econtrario. 2. F. 28. §. si Vasallus* & ab illis repeti, ac, prout alibi de impensis docetur, deduci queant: amisso verò per culpam, meliorationes istæ Domini vel agnati lucro cedant, nisi sint necessariæ *l. 5. C. de R. V. l. 38. ff. de petit. hered.* post culpam commissam factæ Rosenth. *c. 10. concl. 43. n. 12.*

34. Deniq; ex quâ culpâ Vasallus feudum, ex eadem, quatenus in ipsum cadit, Dominus directum dominium amittit *2. F. 26. §. Domino committente.* ita ut Vasallus tunc jure allodii feudum possidere incipiat, modo etiam Dominus delinquens illud habeat, & non penes superiorem resideat: quo casu Vasallus quidem liber sit à servitiis & nexu domini immediati delinquentis, sed agnatis aut domino superiori jus quod ipsis competit, minimè aufertur Sonsbec. *p. 13. n. 72.* Clar. *§. feudum. p. 72.*

DISPUTATIO FEUDALIS UNDECIMA & ULTIMA.

De

Actionibus ob feudum competentibus, & Judicio feudali.

RESPONDENTE

JOHANNE GRJENERT,
Oldendorpio-Schavvb. Westph.

THESIS I.

SUperest Tractatio de Actionibus ob feudum competentibus, & Judicio feudali. Actiones illæ dantur vel Vasallo, vel Domino, vel Agnatis & successoribus. Rosenth. *de feud. c. 12. concl. 11. n. 3.* Quæ Vasallo dantur, concernunt feudum vel promissum saltem & acquirendum, vel jam acquisitum. Ad illud, quod promissum & obligatoriè saltem constitutum est, obtinendum, dantur actiones in personâ ex eo contractu vel negotio, quo est constitutum, v. c. ex empto, stipulatu, testamento; item condictio ex lege, si per donationem; præscriptis verbis actio, si permutatione; imploratio officii judicis, seu remedium extraordinarium, si pollicitatione, condictio ex moribus, si pacto debetur.

2. Si per investituram abusivam seu contractum feudalem citra traditionem feudum est constitutum, competit Vasallo Actio itidem personalis, quam nonnulli vocant condictionem ex lege, alii condictionem ex moribus Vult. *lib. 2. c. 1. num. 14.* alii actionem præscriptis verbis, Borcholt. *de feudis cap. 9. num. 14.* Oldendorpius autem *class. 5. act. 18.* illam appellare mavult Beneficiariam ex contractu feudali & beneficio, prout feudum vocatur 2. *F. 23. in fin.* promanantem. Datur ea, uti & præcedentes, contra Dominum, ejusque heredes 1. F. 9. ad rem præcisè tradendam, ita ut præstando interesse non liberentur secundùm illa, quæ suprà *diss. 5. th. 8.* dicta sunt.

3. Feudo jam acquisito, sive per propriam investituram, sive per successionem aut præscriptionem, Vasallo Actiones competunt variæ tùm Reales tùm Personales. Ad Reales pertinet utilis rei vindicatio, quâ Vasallus

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777867001/phys_0087
DFG

jus suum persequitur contra quamlibet possessorem, etiam ipsum met Dominum. 2. F. 8. §. *rei autem.* Et si fortè in re feudali ab extraneo possessore vindicandâ Dominus & Vasallus concurrant, hic respectu utilis dominii Domino præfertur. Vult. *d. c. 1. n. 14.* Schrad. *part. 9. c. 7. n. 81.*

4. Competit eidem & Publiciana, si causam possidendi fortè non à domino, sed alio, quem putabat esse dominum, & ita bonâ fide habet, quæ aliàs cum rei vindicatione ad evitandam difficultatem probandi dominii potest alternativè cumulari, prout alibi traditur. Ob servitutes quoq; & similia jura Vasallus actione Confessoriâ & Negatoriâ uti potest juxta illarum naturam, quæ proponitur §. *æquè 2. Inst. de act.* & quidem nomine proprio *d. tex. 2. F. 8. §. rei autem.* Bocer *cl. 5. d. 18. th. 40.*

5. An autem realibus istis actionibus Petitio quoq; hereditatis accenseri debeat, non caret dubitatione. Sanè si feudum merè sit hereditarium, nemo non videt, eandem locum habituram esse. Circa feudum verò ex pacto & providentiâ controvertitur, de quo nostra hæc est sententia, quod ab herede Vasalli defuncti universali sive agnato sive filio, petitione hereditatis totius instituta, etiam feudum peti possit. Wesemb. *in parat. ff. de petit. hered. num. 11.* Schneidew. *ad §. 1. Inst. de act. sub tit. de petit. hered. num. 54.*

6. Præter hasce actiones reales, Mixtas quoq;, ubi opus est, Vasallo instituere licet, finium scil. regundorum, adversus confines Dominum aut extraneum, vicina prædia habentes *l. 2. pr. l. 4. §. pen. ff. fin. reg.* familiæ erciscundæ, in casu, ubi feudum est merè hereditarium, vel successores tanquam heredes universales ad id concurrunt 2. F. 78. *junct. l. 2. & 3. ff. fam. ercisc.* & communi dividundo, ubi commune feudum non hereditarium in partes dividendum. *arg. l. 4. ff. commun. divid.*

7. Quæ præterea Dominis aut jus in re habentibus actiones competunt, ut Nunciatio novi operis *arg. l. 1. §. pen. l. 3. §. pen. ff. de nov. oper. nunc.* actio L. Aquiliæ ob damnum in re feudali datum *Gloss. in l. cædere 5. §. fin.* ubi Bart. *ff. arb. furt. cæs.* arborum furtim cæsarum *l. 3. & l. 5. ff. arb. furt. cæs.* (& aliæ cum hac concurrentes, ut actio furti, ad exhibendum, injuriarum Wesemb. *in parat. ff. arb. furt. cæs. num. 6.*) item Condictio ex L. diffamari *C. de ingen. manum.* non solùm contra extraneum, sed etiam Dominum feudi jus amissum aut ad se pertinere jactantes Schrad. *part. 2. part. 9. sect. 13. num. 112.* & *part. 10. sect. 1. n. 72.* Mynsing. *cent 3. obs. 78.* etiam Vasallo neutiquam denegantur.

8. Evicto

8. Evicto feudo, iis casibus, quibus de evictione contra Dominum rectè agitur, Vasallo actio datur in personam, pro ratione contractus seu negotii, quo feudum ipsi à Domino est constitutum, v. g. ex empto, stipulatu, donatione, præscriptis verbis, testamento, *arg. l. 70. ff. de evict. l. 58. eod. l. 1. §. 1. ff. de permut. 2. F. 8. pr.* quæ alternativè contra Dominum vel heredes ejus instituenda, ut vel feudum æquivalens, vel pretium in aliud feudum convertendum præstetur. *d. pr. 2. F. 8. 2. F. 25.* Rosenth. *p. 8. conl. 29. num. 10.*

9. Non solùm autem de re ipsâ ejusq; utili dominio & juribus, sed & de ejus possessione, Vasallo dantur Interdicta adipiscendæ, retinendæ & recuperandæ possessionis causâ comparata. Ad possessionem adipiscendam prostat tùm interdictum quorum bonorum, filio vel agnato ab intestato venienti *2. f. 26. pr.* ubi glos. *per l. fin. C. quorum bonor.* tam contra dominum quàm extraneum (non tamen agnatis contra filias, sorores aliosq; heredes defuncti) tum remedium *l. fin. Cod. de edict. D. Hadr. toll.* in testamento instituto agnato, etiam filiabus ac sorori Vasalli ad missionem in possessionem bonorum feudalium, impetrandam. Michael Graff. *lib. 2. recept. sent. §. transmissio quæst 16. num. 2.* Vult. *lib. 2. feud. c. 1. num. 24.*

10. Retinendæ possessionis remedium est uti possideris, quod meritò Vasallo, utpote possidenti, in possessione suâ turbato dari nihil habet controversiæ, cùm & Usufructuario & Usuario, qui minus juris habent, non denegetur. *l. fin. ff. uti possid.* Cum hoc conveniunt interdicta de eo quod vi aut clam; & de itinere actuq; privato, quorum sententia ex jure communi constat. Pertinent huc quoq; novissimæ Imperii constitutiones de litigiosâ possessione, Arrestis, & pignorationibus quarum vigore, ad coërcendam iniquam turbationem & detentionem Vasallis immediatis per mandata contra dominos & alios de relaxando & restituendo salutariter succurritur. Rosenthal. *c. 12. concl. 12. num. 40.*

11. Pro recuperandâ possessione interdictum unde vi, & remedium Can. redintegranda, ac similia itidem tam contra Dominum, quàm extraneos dari juris est certi *l. 3. §. 15. ff. de vi & vi arm.* Et licet sint, qui pro interdicto unde vi, velut remedio famoso, actionem in factum à Vasallo contra Dominum intendandam esse malunt, Zas. *p. 11. n. 23.* Sonsbec. *p. 11. n. 49.* hos tamen nulla certâ ratione niti censet Vultejus *d. c. 1. n. 15.* post Jacobin. de S. Georg. *tract. de feud. in verb. & dict. Vasalli num. 7.* quos sequitur Lindeman *exerc. feud. 3. cap. 12. th. 15.*

12. Beneficio & Jure istiusmodi remediorum Vasallus à Domino dejectus & spoliatus ante omnia, uti quivis alius possessione sua per vim exutus, restituendus est, nec opus habet ad obtinendam restitutionem hanc priùs de titulo possessionis suæ docere. *arg. l. 1. § 23. ff. de vi arm. l. 37. ff. de judic. l. 12. C. de R.V. c. in literis. c. conquerente. extr. de restit. spoliat.* Menoch. *de recuper. possess. remed. 1. n. 99. & seq.* Cæs. Contard. *in. l. unic. 2. §. 8 num. 34. C. si de moment. possess. appell. fuer.* Modestin. Pistor. *concl. 40. num. 90. & seq.*

13. Domino quoq; non minùs quàm Vasallo actiones feudi nomine competunt, qualis potissimùm est, quam ratione proprietatis suæ habet, directa rei vindicatio, quâ extraneum feudi possessorem indistinctè, ipso scil. Vasallo agere nolente vel cessante, §. *rei autem & ibi* Dd. 2. F. 8. Vasallum autem tunc demum, ubi per gravioris feloniæ speciem feudum ipso jure amisit, convenire potest. *arg. l. 73 pr. ff. ad SC. Trebell.* Schneidew. *part. 1. n. 27.* Schrad. *p. 2. part. 9. sect. 9. n. 22.*

14. Dantur eidem & actiones personales, & quidem ob denegationem promissorum servitiorum condictio causa data causa non secuta 1. F. 21. *pr.* si feudum Vasallo propterea aufferre velit; sin minùs, & per stipulationem servitia promissa sunt, actio ex stipulatu, vel si citra stipulationem, actio ejusdem contractus, quo feudum ab initio est constitutum. Nonnunquam condictio ex moribus ad præstandum id, quod in obligationem deductum est, locum habet. Vult. *d. c. 1. num. 17.*

15. Remedia autem possessoria seu interdicta Domino competere vix videtur adserendum, cùm non ipse, sed Vasallus rem feudalem naturaliter possideat, & duo in solidum unam eandemq; rem possidere non possint *l. 3. §. 5. ff. de acquir. possess. l. 19. pr. ff. de precar.* nisi hic juris, quod ipsi competit, feudalis q. possessionem fingamus, cujus ratione interdictum retinendæ & recuperandæ ipsi applicari posset, quorum prius & contra illum, qui Vasallum in possessione suâ turbat, ita ut & jus ac q. possessio Domini periclitetur, à Domino intentari posse existimat, ejusq; exempla in Cam. Imp. non raro obvenire testatur Rosenth. *d. c. 12. concl. 12. num. 46.*

16. Non omittenda videtur hic quæstio, Utrum Actio præjudicialis adversus Vasallum, si is qualitatem Vasallagii neget, Domino detur. Et quia notum est ex §. *13. Inst. de action.* actiones illas maximè statum concernere personæ, ad quem conditio & qualitas Vasalli referri non debet, dicendum omninò actioni huic præjudiciali propriè locum non esse.

Nec

Nec impedimento huic sententiæ est, quod Vasallus liberto nonnunquam comparari soleat, prout ostendit Schneidew. *ad d. §. præjudiciales 13. Inst. de act.*

17. Deniq; Domino, liberis, & Agnatis, jure προτιμήσεως ad feudum licitè alienatũ revocandum condictionem ex moribus *2. f. 3. §. sed etiam res. 2. f. 26 §. Titius* intra annum competere communiter est receptum, quæ quidem est personalis, sed in rem scripta, & contra quemcunq; possessorem, prout natura est actionis personalis in rem scriptæ *l. 3. §. 1. ff. ad exhib. l. 13 §. 3. quod met. caus.* datur. Tiraquel. *de retract. lignag. §. 8. glos. 6. num. 14.* Gail. *lib. 2. obs. 19 n. 6.* Cui consequens est, quod si primus emptor intra tempus retractus secundo rem vendidit, is cui jus retractus competit, possit eam vigore primæ venditionis à secundo retrahere: quod etiam procedit, licet donatione aut permutatione ad secundum pervenerit *arg. l. 54. ff. de R. J.* Rob. Marant. *disp. 9. num. 8.* Boer. *decis. 182. num. 52. & sqq.*

18. Quod si jure successionis Agnatus feudum licitè alienatum revocare velit, cùm id ipsi jure ob facultatem succedendi, quam vi primæ investituræ habet, competat, utili rei vindicatione, vel Publicianâ actione experiri potest, 2. F. 13. Eo verò casu, quo culpa in alium, quàm Dominum commissa est, ut feudum ad Agnatum devolvi debeat, condictio ex moribus ad illud consequendum locum habet. 2. F. 31. Lindeman *d. c. 12. th. 18.*

19. Hæc de Actionibus: Sequitur nunc Judicium feudale, in quo primariò fori competentia venit consideranda, quæ partim ex Personis litigantibus, partim ex causis in judicium deducendis dijudicatur. Est enim controversia vel inter Convasallos, vel inter Dominum feudi & Vasallum, vel inter illum aut Vasallum, & extraneum, eaq; est vel de feudo aut ratione feudi, vel de re quapiam aliâ.

20. Quando controversia est inter Convasallos de toto feudo, vel de parte aut finibus ejus inter se contendentes, Dominus feudi ordinarius est & competens judex *2. f. 55. §. præterea.* Qui si nondum justæ ætatis, aut non sanæ mentis sit, loco ejus tutores vel curatores judicis munere fungentur *arg. l. 57. ff. de re judic. c. grandi. de supplend. neglig. prælat. in 6.* si absens aut defunctus, Vicarius quispiam judicio præerit. Schrad. *p. 10. sect. 4. num. 150.* Sic Imperator Romanus de feudis Imperii cognoscit. Vacante autem imperio, Elector Palatinus & Saxoniæ de iisdem (non tamen Regalibus, ut de iis quenquam investiant) cognitionem habent, A. Bul. Car. IV. *tit. 5.*

21. Et licet in Imperio Romano Electorales, Principes, ac Status Imperii aliiq; immediati subditi, ubi de causis civilibus lis inter eos exiſtit, in primâ inſtantiâ Judices ſingulares vigore ordinationis *part. 2. tit. 2. & 4 ſeqq.* habeant, attamen ſi feudalis ſit controverſia, judicibus hiſce privilegiatis Auſtregarum (uti vocantur) non eſt locus, ſed rectà in primâ inſtantiâ judex feudalis & ſic Imperator, vel loco ejus Camera Imperialis adiri debet. Gail. *1. Obſ. 1. num. 54.* Schrad. *part. 10. ſect. 1. num. 209.* ita ut in hoc utriusq; concurſu prævention locus ſit. Si verò, de majori quodam ac Regali feudo, Ducatu, Marchionatu, Comitatu controverſia oriatur inter Convaſallos, ita ut illud uni parti totaliter vel aufferendum, vel adjudicandum ſit, ſolus Imperator vel Rex Romanus eſt judex, nec cum eo Camera concurrit. Ordin. Cam. *part. 2, tit. 7.* Gail. *1. Obſ. 29. num. 1. & fin.*

22. Nihil autem refert quoad Dominum, utrùm mas an fœmina; Clericus an Laicus; Vaſallo dignitate ſuperior, an inferior; nec quoad Vaſallum, utrùm clericus vel laicus *c. ex transmiſſa. ext. de for. compet.* paganus vel miles, aut alius quiſpiam privilegiatorum, puta Scholaris, vel miſerabilis perſona, Vidua fortè, vel pupillus ſit, quibus aliàs adverſarium rectà coram Imperatore convenire eſt permiſſum *l. un. C. quand. Imper. inter pupill. vel vid. vel al. miſerab. perſon.*

23. Non licet etiam Vaſallo Domini jurisdictionem feudalem, eo invito & contradicente, prorogare (quod aliàs litigantibus regulariter permiſſum *l. 1. & 2. pr. ff. de judic.*) vel in alium judicem conſentire, ſed ſi id fecerit, prorogatio iſta nullius eſt præjudicii, & ſententia ipſo jure nulla *d. §. præterea & ibi Gloſſ. 2. F. 55.* Gail. *1. obſ. 40. num. 5. & 6.* Schrad. *part. 10. ſect. 1. num. 136. & aliquot ſeqq.* Si tamen Dominus juſtitiam facere neglexerit, ad ſuperiorem vel judicem ordinarium cauſa devolvi *ſ. cæterum & ibi Dd. extr. de judic.* Vult. *d. c. 2. num. 20.* ſuſpectus quoque ſi fuerit, à partibus recuſari poteſt. *l. 10. ff. de jurid. c. ſuſpicionis extr. de poteſt. & off. jud. deleg. c. cùm ſpeciali. extr. de appellat.* Sonsbec. *part. 14. num. 17. per tex. 2. F. 15. verſ. mihi & aliis & 2. F. 46. verſ. & reſponſum.*

24. Secundo caſu principali, ſi lis acciderit inter Dominum & Vaſallum de feudo, aut ratione feudi, ejusq; inveſtiturâ, hanc coram paribus curiæ tractari & dirimi oportere conſtitutum eſt *2. F. 16. 2. F. 39. § ſi inter. 2. F. 55. § penult.* licet litigantibus dignitate ſint inferiores. Schrad. *p. 10. ſect. 7. num. 1.* Fachin *7. contr. 102* modò tamen habiles ſint & minimè ſuſpecti; ſin aliter, meritò recuſantur, & ad judicem loci ordinarium

rium causa devolvitur. Hartman. Hartmanni *pract. observ. tit 54. obs. 21.* Vult. *d. c. 2. num. 33.* cui & tunc cognitio est committenda, si aut pares nulli adsunt, *2. F. 16.* aut qui dantur, in aliorum testium defectum examinandi sunt, Rosenth. *cap. 12. concl. 4. n. 6.* aut Vasallus à Domino conventus Vasallum se esse neget. Zas. *p. 11 num. 12.* Vult. *d. c. 2. num. 31.*

